DE SANNAZARII
VITA ET OPERIBUS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

E. BELLON

LICENCIATUS IN LITTERIS ET S. THEOLOGIA

RHETORICES PROFESSOR IN MINORE SEMINARIO PARISIENSI

B. M. V. A CAMPIS

PARISIIS

TYPIS JOANNIS MERSCH

4bis, VIA DICTA CHATILLON, 4bis

1895

DE SANNAZARII

VITA ET OPERIBUS

DE SANNAZARII
VITA ET OPERIBUS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

E. BELLON

LICENCIATUS IN LITTERIS ET S. THEOLOGIA

RHETORICES PROFESSOR IN MINORE SEMINARIO PARISIENSI

B. M. V. A CAMPIS

PARISIIS

TYPIS JOANNIS MERSCH

4bis, VIA DICTA CHATILLON, 4bis

1895

E. Aubertin consiliaro a curia appellationum Aquis Sextiis
D. D. D.

E. B.

Clarissimo et doctissimo viro B. Croce, hoc opus qualecumque sit, grati animi pignus impar offert,

E. B.

Vidi ac perlegi Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
A. D. V. Non. jul. Ann. MDCCCXCV
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. Himly.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
Gréard.

PROŒMIUM

Jacobus Actius Sannazarius, ingenii quidem magnitudine, judicii gravitate, bonarum artium apparatu, latini sermonis elegantia et nitore, ceteris denique omnibus, quæ in summo poeta requiruntur, adeo excellit, ut vix quemquam ei conferendum, postremis saltem hisce temporibus, Italia protulerit.

Non ideo mirandum, si « Vergilii Christiani » cognomine a multis sit distinctus.

Vitam illius enarrare, et opera, cum Etrusca, tum Latina lingua exarata percurrere, eclogis piscatoribus solummodo exceptis, quas quidem magno scientiæ apparatu sermoneque exquisitissimo, multis jam ab annis, unus e nostris, Campaux nomine, meditatus est (1), operæ pretium fore mihi visum est.

Quanam ratione Etruscam linguam, jam a Petrarcha nobilitatam ditaverit, et Latinæ præsertim, pœne ab antiqua puritate depravatæ subvenerit, ante oculos ponere, consilium fuit quod in thesi nostra disserenda secutus sum.

1. Cf. *De Ecloga piscatoria qualem a veteribus adumbratam absolvere sibi proposuerit Sann.* A. Campaux. Parisiis, 1859.

I

SANNAZARII VITA

1. — De Sannazarii nativitate.

In opere quod *Arcadia* inscribitur, multa cum de vitæ suæ moribus tum de amicis quibus utebatur, nos ipse docuit Sannazarius, quæ quidem sub pastorum persona adumbravit. Itidem seu in eclogis seu in epigrammatibus vel elegiis latino sermone conditis, quædam videtur narravisse ut suam ipsius indolem, agendique rationes ostentaret. Cum ex istis plurima sim deprompturus, mihi liceat unum e pastoribus quos inter se colloquentes adducit Actius, in lucem protinus prodere.

Carinus scilicet, ubi primum Opicus, Sannazarii ipsius personam gerens, cantare desiit, ab eo quærit unde venerit et quanam ratione in Arcadia habitaverit. Cui Opicus : « Non posso, gratioso pastore senza noia grandissima ricordarmi de' passati tempi, liquali avegna che per me poco lieti dir si possano, nientedimeno havendoli a raccontare, hora che in maggiore molestia mi trovo, mi saranno accrescimento di pena, et quasi uno inacerbire il dolore alla mia mal salda piaga, che naturalmente rifugge di farsi spesso toccare, ma perche lo sfogare con parole a i miseri suole a le volte essere alleviamento di peso, il dirò pure (1). »

His dictis, Sannazarius, varios vitæ suæ casus evolvit.

Natus est Neapoli, anno post Christi adventum 1458, quinta Kal. Sextilis, festo die Sancti Nazarii martyris, a quo se gentilicium nomen ducere magnificentissime gloriatur. Per id tempus, Alfonsus Aragonius, rex Neapolitanus, cognomento Victor, qui a

1. *Arcadia*, prosa 7.

Joanna regina pro filio adoptatus fuerat, vir bellica laude maxime præstans, pacisque artibus ornatissimus, mortem obiturus, Ferdinando filio suo, regnum tradidit. Pessimis auspiciis vitam exorsus est. Illa quidem tempestate, bellorum motus per totam Italiam excitati sunt, quibus privatorum bona direpta, liberi homines in servitutem abducti, excercitus sæpe magni, occidione occisi fuere.

2. — De Sannazariana gente.

Sannazarios, genere nobilissimos, nemo Italicarum rerum mediocriter gnarus est qui nesciat, Anno 1381 ex Hispania, in Caroli III castra venisse. Ibi turmis equitum præfecti, stipendiis satis liberalibus acceptis, amplissimisque promissis, bella gessere quorum felices eventus Neapolitanum regnum Andegavensibus principibus tradiderunt (1).

Gratiam ideo referens, Carolus III, beneficia multa Sannazariis, ob virtutes, dono dedit, Montis Dragonis Rocham scilicet, ac feuda quam plurima in Seussano ac Sidicino agro, item Serram ac Sanctum Laurentium Felictum et Castrum Novum, illosque carissimos habuit (2). Mortuo deinde Carolo III, eamdem ejus Ladislao filio fidem præstitere, et si rex ille diutius vixisset, magna in Jacobum Sannazarium, Nicolai filium, beneficia collaturus videbatur.

Successit Ladislao Joanna (3), quæ, primum amoribus Pandolphelli Alopæ, mox Serianni Caraccioli addicta, et quasi mente capta, omnes a Carolo patre et Ladislao fratre erectos prosternere studuit; ita ut Sannazarios, huic Serianno quod magnitudinem ipsius ægre ferrent, exautorandos insequendosque tradiderit; qui, nactus suspicionis occasionem, quod Jacobus Sannazarius, Amichino Mormile novis rebus studenti, opem et consilium præstitisse diceretur, reum a fisci patrono, ad causam dicendam citari procuravit (4). Jacobus, vero cedere tempori quam se inimici tradere potestati maluit; frustra sperans reginam non diutius regnaturam. Illum vero fefellit opinio. Mortua enim Joanna, non potuit Jacobus bona sua, ad Sanseverinos proceres translata, amplius recipere.

1. Cf. *Arcadia*, prosa 7.
2. Id., ibid.
3. 1414.
4. Cf. *Arcadia*, di J. Sann. di M. Scherillo (1888).

Superfuit a Jacobo, Nicolaus filius, Synceri nostri pater. Qui quidem, vix habens e quibus vitam sustentaret ut amplissimæ nobilitatem familiæ tueri posset, Masellam a Sancto Mango, Salernitanam civem, vetusto et nobili genere ortam, uxorem duxit. Ex qua, Jacobum, cujus potissimum hæc omnis narratio mihi instituta est, ac Marcum Antonium filios procreavit.

3. — De primis Sannazarii annis.

Quadam vero sortis iniquitate accidit, ut patrem suum amiserit Jacobus, cum nondum ipse sibi prospicere posset. Tunc matri in tutelam traditus, vix paupertatis incommoda effugit Sannazariorum gens, quondam, omnium rerum abundantia affluens. Nunquam autem, cum fortunæ suæ in extremo sitæ essent animum despondit Masella, nec ejus filius illas demissiones passus est, quibus quos premit inopia aliquando laborant. Non opibus maxime quidem florebant, illa vero mediocritate aurea contenti, dies suos parcissimè, sed animo læto agebant. Imo, in jam laudata *Arcadia* paupertatem suam non incusat Sannazarius, vixque de pristina fortuna desiderium aliquod in Elegiarum libris esse videtur, quod reipsa, his minutissimis verbis editur :

Atavi regna opulenta mei :
Regna male ad seros heu perventura nepotes,
Dum versat varias sors inimica vices (1).

Masella vero, virilis animi femina, cum se in tantas rei familiaris angustias adductam videret, neque haberet unde sibi suæque familiæ sumptus liberales suppeditarentur, a Neapoli migravit, in Picentinosque (2) concessit, Nuceriæque Paganorum, domicilio collocato, parce admodum vixit (3). Quo in oppido, ut saltem quorumdam fert opinio, Jacobus, eximio ingenio, poema suum sermone vernaculo inchoavit quod *Arcadia* inscripsit (4). Illudque quamvis sit mirandum nemo non fateatur necesse est, cum Jacobus ipse, Cassandram Marchesiam, de pueritia sua in Picentinis acta, alloquens, asseruerit.

Tunc ego pastorum numero, silvestria primum
Tentavi calamis sibila disparibus.

1. *Eleg.*, II, 2.
2. Cf. *Eleg.*, III, 2.
3. Cf. *Vita Sann.*, a J. Ant. Vulpio conscripta.
4. Cf. *Vita di Giacopono Sannazaro*, B. Crispo da Gallipoli.

Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
Innumeros pavi lata per arva greges (1).

4. — J. Maio suadente, cum matre sua Neapolim revertitur.

Dum Masella cum suis liberis, Nuceriæ, vitam suam tranquille agebat, Junianus Maius, celebris ea ætate ludi magister, multum Neapoli dolebat quod J. Sannazarii ingenium situ veluti quodam ac pædore obsolesceret, neque in principum virorum conspectu, sed in pago, usu necessariorum spoliato, viveret, cum omnium rerum summa, in Neapoli civitate, esset facultas. Idcirco ad Masellam epistolas misit, ut illi de eximio ingenio Jacobi fidem faceret, quod quidem diutius in abscondito retinere nefas esset. Eam ideo hortabatur, ad omnes copiolas, quæ illi reliquæ essent, contrahendas, Neapolique Jacobum liberaliter atque ingenue educandum (2). Brevi enim fore, ut sumptus in ea re facti, amplioribus longe commodis quæ plerumque studiosorum adolescentium industriam consequi solent, abunde compensarentur.

Non ille quidem erat qui, spem falsam de cujusdam ingenio, sumeret; adde quod Jacobum penitus noverat, quem adeo juvenem litteras latinas necnon græcas docuerat.

Fideli consilio materfamilias paruit, nullaque dubitatione interposita, sine mora, cum liberis, Neapolim venit.

5. — Pontanum audit.

In celeberrima urbe, ea tempestate florebat Joannes Pontanus, vir disciplinis omnibus et præcipuè illis quibus juvenum animi ad humanitatem informantur, præter cæteros excultus. Ad hujus domum, tanquam, ad Musarum templum, flos nobilitatis juventutisque Neapolitanæ, undique confluebat. Cuilibet enim adolescenti, bona de suo ingenio spes erat, non ille alium nisi Pontanum hortatorem studiorum suorum optabat.

Liberalibus artibus, homines qui tunc fuerunt, superavit Pontanus, animi vero constantiam in illo desiderarunt nonnulli. Posthabitis enim beneficiis a Ferdinando et Alphonso Arragoneis in se collatis, pro rostris, adventantem Carolum Francorum regem laudavit, et nutantem Arragoneorum fortunam, illa qua valebat arte dicendi, depressit (3).

1. *Eleg.*, l. III, 2. adde I, 1.
2. Cf. *Vita di Giaccopo Sannazaro*, da Crispo da Gallipoli.
3. Cf. *Actii Synceri vita*, P. Jovius.

Istum patriæ proditorem quamvis non sit imitatus Sannazarius, non potuit quin laudaret tanquam litterarum disciplinarum magistrum, multaque nobis haud spernenda tradidit, grati sui munus animi. Etenim, in Elegiarum libris, Pontani gloriam magnopere prædicavit, his verbis eum celebrando :

Salve, sancte senex, vatum quem rite parentem
Præfecit terris Delius Ausoniis.
Non te Lethææ carpent oblivia ripæ;
Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum.
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices exspectas, Umbria, palmas?
Mœnibus has patriæ retulit ille meæ,
Ille suis longum studiis, et laude fruatur... (1).

6. — Academia Pontaniana.

Pontani disciplinam, ne unus quidem erat qui sperneret, ex iis qui, bonarum artium cupidi, patriam suam vel arte dicendi vel poetarum laude splendescere flagrabant. Inter adolescentes qui sectam Pontani sequebantur, mos ille incesserat, ut unusquisque sibi nomen novum imponeret. Non defuere quibus consuetudo illa tanquam religioni gravitatique christianæ contumeliosa visa sit. Ab illa enim, majorum instituta convelli videbantur, cum sanctorum nominibus abjectis, in eorum loco, alia supponerentur profanarum gentium memoriam renovantia. Jam istis notam inusserat Flaccus, semper enim et ubique terrarum vir ille invenietur :

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorque minorum (2).

Non est tamen cur buccas inflent cum de minimis agitur.

7. — Syncerus cognominatur.

Sed hæc hactenus. Pontanus igitur, ut reliquos suo traheret exemplo, Jovianus appellari voluit, Sannazariun vero, Syncerum

1. *Eleg.*, l. I, 9.— Sannazarium ludis suis interfuisse, nos ipse docet Pontanus dum in diverbio *Asinus* inscripto, eum talia loquentem adducit : « is enim me instituit, is me studiis his dedicavit, illi debentur quæ in me insunt, si quæ laude digna insunt, omnia. » Cf. Scherillo, *op. cit.*
2. Cf. *Ars Poetica.*

nominavit. G. Battistæ Crispo da Gallipoli si credere velim, nomen illud accepit quod sine fuco et fallaciis vitam ageret, puram simplicemque dicendi formam amaret, in qua scilicet ipsius ingenium et mores apertissime elucebant. « Per lo verso numeroso e per la candidezza, in esso usata, Pontano, ad imitationi degli antichi, volse oltre al nome di Attio col' cognome anco di Syncero honorarle e allo stile et alla dolce et leal sua natura parimente avendo riguardo. » Cui assentire videtur Joannes Pardus cum dicit:

> Acci, cui simplex peperit facundia nomen
> Synceri, et vitæ candida simplicitas (1).

8. — De amore quo erga Carmosinam ardet.

Dum Pontani disciplinam assidue profiteretur Syncerus, in amorem formosissimæ puellæ, nobili genere ortæ, quam Carmosinam Bonifaciam vocabant, incidit. Quam fuerit illius forma eminentissima, multis verbis Sannazarius ipse significavit, si quidem in libello soluta oratione conscripto, cui *Arcadiæ* nomen impressit, grandiloquo modo frequentiusque laudata esse videtur Ne molestus videar, illud mihi saltem, e multis recitare liceat: « ne vidi una che tra le belle bellissima giudicai, li cui capelli erano da un sottilissimo velo coverti, di sotto al quale duo occhi vaghi et lucidissimi scintillavano, non altrimenti che le chiare stelle sogliono nel sereno et limpido cielo fiammeggiare, e'l viso alquanto piu lunghetto che tondo, di bella forma, con bianchezza non spiacevole, ma temperata, quasi al bruno dechinando, et da un vermiglio et gratioso colore accompagnato riempieva di vaghezza ghi occhi che 'l miravano; le labra erano tali, che le mattutine rose avanzavano, fra le quali ogni volta che parlava o sorrideva, mostrava alcuna parte de denti, di tanto strana et maravigliosa leggiadria, che a nimia altra cosa, che ad orientali perle gli havrei saputo assomigliare..... di gentile e rilevata statura andava per li belli prati, con la bianca mano cogliendo i teneri fiori (2) ».

1. In notulis quibus vitam J. Sannazarii a G. Crispo de Gallipoli editam, quidam, vulgo anonymus dictus, amplificavit, multa da Academia Pontaniana, haud quidem spernenda dicuntur; aliqua ex eis mihi referre liceat : « Nella quale Accademia, celebre in tutta l'Europa, erano aggregati i primi valentuomi di quel secolo, ed amici del Sannazaro... de quali come Principe del' Accademia si era capo il Pontano. »
2. *Arcadia*, prosa 4.

Syncero autem amore sollicito, mutuam voluntatem nunquam tribuit puella; adolescenti ideo unum tantum relinquebatur perfugium, versibus lingua latina vel Etrusca enarratis, modo puellæ crudelitatem, modo fortunæ sævitiam accusare.

Juniano Maio, sua penitus recondita, quodam die, Syncerus credidit :

Nos hic, ut nosti, duræ parere puellæ
  Cogimur, et tristes ducere in urbe moras.
Nec tamen aut studiis animum intendisse severis,
  Aut prodest sanctas excoluisse Deas.
Quumque tot unanimes dederint mihi fata sodales
  Auxilium, nemo est, qui mihi rite ferat.
Instat sævus amor, reficitque in cote sagittas,
  Nec patitur presso colla movere jugo.
Et licet assiduis tabescant pectora curis,
  Quærimus unde queant tanta venire mala (1).

Imo, si ipsius verbis, fides adhibenda est, mortem non semel flagrans optavit. « Dunque, per ultimo rimedio, di piu non stare in vita deliberai, et pensando meco del modo, varie et strane conditioni di morte andai esaminando, et veramente, o con laccio, o con veleno, o vero con la tagliente spada haverei finiti li miei tristi giorni se la dolente anima da non so che viltà soprapressa non fusse divenuta timida di quel che piu desiderava (2). »

Feliciter evenit, quod multi inter amicos, e pessimis cogitationibus Sannazarii animum abduxere (3). Suasionibus illorum paruit Syncerus, non potuit tamen quin exclamaret (4) :

Et quisquam mihi nunc longos optaverit annos,
  Cum videat vitæ tædia tanta meæ!

1. *Eleg.*, lib. II, 7.
2. *Arcadia*, prosa 7.
3. De Sannazarii amoribus, Crispo, in jam laudata Synceri vita ne unam quidam dubitationem admittit; non ita vero prorsus qui, nostris saltem temporibus, de Sannazarianis rebus scripsere. Inter quos, primus eminet Scherillo (*Arcadia di J. Sannazaro secondo i manoscritti e le prime stampe, con note et introduzione*, 1888) qui, Sannazarii amorem, ingenii commentum inane, imo puerile quoddam vocat : « Il Sannazaro mi fa un po' la figura d'un collegiale che reciti versi o di Ovidio o di G. Marino. » Ejus autem verba ad probandum infirma B. Croce habuit. Etenim in libello cui titulus inscripsit (*Relazione pel concorso al primo tenore letta all' Accademia Pontaniana, 18 nov. 1894*) dum quendam corona dignum laudat hæc adjecit : « l'autore combatte i recenti critici che, senza nessuna seria ragione, han negato fede alle affermazioni del Crispo. » In hanc sententiam eo libentius descendam quod Nunziante (*Un divorzio ai tempi di Leone*, X, 1887), plane et apertius jam Scherillum revicerat (Cf. p. 27).
4. *Eleg.*, II, 7.

Non me Sisyphio superunt impulsa labore
Saxa, nec infernis dolia adacta vadis.
Et Tityi rostro cedet mihi vultur obunco,
Pomaque Lethæis visa sub arboribus (1).

Ut poetis mos est, Syncerus, querelas suas carminibus exprimendo, angores animi levabat; quod quidem mirabilique modo, paucis ante annis jam fecerat Petrarcha. Scripsit ideo Syncerus noster, si Pauli Jovii verba referre liceat « tanquam ambidexter, etrusca simul atque latina carmina, pari lepore saleque, arridentibus utrinque Musis, cum multo felle odii subamarus præpilata jacula iambis intorqueret, aut amorum suorum dulcedine resolutus tenerrime lasciviret (2) ».

9. — Amicitia qua cum Ferdinando conjungitur.

Quæ, fama perlata, mox audivit Federicus Ferranti primi filius. Poetam ideo ad se cupide arcessitum tectis ac sedibus suis recepit, præcipuaque benevolentia in intimis semper habuit (3). Præ cæteris autem poeseos generibus, regium adolescentem spectacula illa capiebant quæ « mimi » a veteribus vocantur. Quapropter Sannazarius, ut erat ad exprimendum fingendumque promptissimus ingenio, multos edidit sale lepidissimo aspersos. Societatis vitia, in primisque mores ducum et principum hac ætate vigentium, solerter ac versute reprehendebat. Proavorum temporibus, adhuc in manibus erat libellus quidam a Sannazario editus quem vulgo, Neapolitani *Gliomero* vocavere. « Nome conveniente — ut Crispo da Gallipoli utar — all' opera, in cui si raccolgono tutte sentenze e voci goffe del parlare antico Neapolitano con digressioni molto ridicolose, segni non oscuri della fertilita dell' ingegno di esso poeta. »

10. — Matre amissa, in Galliam proficiscitur.

Dum hæc meditabatur Syncerus, famamque haud ignobilem habebat, crudeli sorte, matre orbatus est (4). In Arcadiæ lusibus.

1. *Eleg.*, II, 7.
2. Cf. *Elog. Virorum illustrium*, P. Jovius.
3. Cf. *Vita di S. Sannazaro* da Crispo da Gallipoli.
4. Nondum erat Masella ætate provecta; etenim in Eclegiarum versibus (*Eleg.*, III, 2) « festinata parentis fata » memorat Sannazarius ipse. Vix ille quidem e pueritia excesserat. Arcadia enim in manus hominum an. 1478 data est, omnino necesse est ideo, eo quidem tempore jampridem vita discessisse

elegantissime interitum illius deploravit, quam magno prosequebatur amore (1).

In Galliam ultimam tunc profectus est ; cum ad dolorem suum levandum, tum ad curam fugiendam qua, propter puellæ amorem angebatur. Regionem Gallicam, si quibusdam saltem assentire licet, Arcadiæ nomine involvit et pastoribus, quorum lusus et mores vernaculo sermone enarravit, Galliæ incolas adumbratos esse voluit. Non id tamen ut Gallorum usus et agendi ratio in opere laudato traderentur, sed illorum potius mitis indoles et quædam convenientia et conjunctio naturæ celebraretur.

De hoc iterum sermonem conferemus. Tempus instat enim ut Sannazarii varios casus percurramus.

11. — Neapolim revertitur.

Non diutius Galliam incoluit, ægritudo quidem animi et amicæ desiderium in dies invalescebant, nedum longinquitate sedarentur. Magnis itineribus itaque Neapolim rediit.

Carmosinam vero quam vehementer requirebat, nec videre, nec illius verbis aut saltem grata frui præsentia, Sannazario concessum est. Illo quidem absente, nondum ætate provecta, migraverat de vita. Qui casus, quantum amatori luctus attulerit, satis Eclogæ piscatoriæ indicant, quibus Carmosinæ mortem, Phyllidis nomine adumbratæ, deflet. Ne singulos versus loquar, illorum, unum aut alterum saltem allegare liceat.

12. — De Carmosine morte.

Quis mihi, quis te te rapuit, dulcissima Phylli?
Phylli, meæ quondam requies, spesque unica vitæ,
Nunc dolor, æternusque imo sub pectore luctus.....
Nunc te, quis credat? lapis hic habet, et mihi nusquam es.

Quamdam diceres dolendi esse voluptatem ; etenim Sannazarius, animi cruciatus, fuse latiusque multis amplificat versibus. Mendacia vatum perspecte edoctus, alio in loco, animam suam e somno lethali eductam, ante oculos adducit, quam quidem sic alloquitur.

Masellam cujus parentalia in prosa 10, magno apparatu celebrantur. Qui vitam a Crispo editam notulis emendavit, Masellam asserit mortuam esse an. 1490, quod quidem e dictis falso probatur.

1. *Arcadia*, prosa X.

Vissa teco son' io molti e molt'anni,
Con qual' amor, tu l' sai, fido consorte;
Poi recise 'l mio fil la giusta morte
E mi sottrasse alli mondani inganni.
Se lieta io goda nei beati scanni
Ti giuro che 'l morir non mi fu forte;
Se non pensando alla tua cruda sorte,
E che sol ti lasciava in tanti affanni.
Ma la virtu che in te dal Cielo riluce
Al passar questo abisso oscuro e cieco
Spero che ti sara maestra et duce.
Non pianger piu, ch 'io saro sempre teco,
E bella et viva al fin della tua luce
Venir vedraime rimenarten meco.

Non est ambigendi locus, Horatiique tam celebratum referre fas est :

Dignum laude virum Musa vetat mori
Cœlo Musa beat (1).

illudque non ignobile non possumus quin addamus :

..... spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ (2).

Quis enim, nisi eam laudibus cumulasset Sannazarius, memor esset Carmosinæ?

13. — Militaris vita.

Poetica laude non contentus, Martis etiam gloriam affectavit. Alphonsum ideo Calabriæ ducem, Etrusco bello secutus est Syncerus. Quanam virtute tum munus suum gesserit, ex dictis poetæ conjectare licet cum scripserit ipsemet :

..... Sileam nunc impensos tot regibus annos
Tot data belligeræ tempora militiæ :
Et sileam vexata malis mea corpora morbis,
Vixque Machaonia restituenda manu (3).

Alphonso etiam se comitem præbuit ad Hydruntum recipiendum, fugandosque Turcas qui oppidum illud suis occupaverant

1. Hor., Od. IV, 8.
2. Id., ibid., 9.
3. *Eleg.*, III, 2.

præsidiis. In chartis suis et quidem non ineleganter modo, illud nobis testatur Syncerus, Alphonsique victorias ingenio magno celebrat, unius tantum illum pœnitet, quod non eum

..... Æschyleo donasset Musa cothurno (1);

etenim si « foret in suo grandior ore sonus » tunc non fidibus diceret :

..... Trojæ profugos post duo lustra deos,
Thebanasve acies, fratrumque immitia bella,
Sævaque discordi funera rapta pyra (2),

sed Alphonsum suo celebraret carmine, nec illum

Pignore tam grato dulces gravaret onus.

In procinctu enim exercitus multos habuit, quibuscum fausta certamina instituit, Lotophagum quidem dites populatus est ægros, et

Reginæ accitu mox Itala regna secutus
Chalcidicasque arces, Parthénopenque subit (3),

quam, novo et hostili impetu inventoque callido occupat, eam enim obsessam

..... intrat, Nymphis comitantibus urbem
Qua per operta vagus labitur antra liquor (4).

Dux quidam ferox, Malatesta nomine, quem sibi mercenarium comitemque tribuerat S. Pontifex, inanem operam insumpsit ut urbem obsidione liberaret, eam potius enim ferro vastat Alphonsus. Facinoris istius non potuit quin Syncerum pœniteret, ideo, ut sibi parcatur enixe postulat :

Parce tamen veneranda parens, si justa secutus
Signa sub Alphonso, rex erat ille meus (5).

Dum vero victos alios hostes narrat, seu « forti defensos milite Locros », « totque pharetratas Turcarum turmas », animo gaudenti ut fausta conclament populos vocat :

1. *Eleg.*, II, 1, v. 15.
2. Id., ibid., v. 20.
3. Cf. *Eleg.*, II, 1, v. 31.
4. Id., ibid, v, 36.
5. Id., ibid., V. 83.

Dicite io, populi; turmas spectatis ovanteis,
Et per victrices fœdera juncta manus,

hostemque turpissima fuga dehonestatum deridet :

Heus, ubi nunc, Roberte, tuæ vocesque, minæque?

Tam strenue bello decertaverat Sannazarius, ut illius præsentia orbari noluerit Ferdinandus, Alphonsi pater, cum pro Hercule Ferrariensi contra Sixtum pontificem illiusque fœderatos arma cœpisset, huic jussit ideo fidibus vale dicere. Syncerus autem, Thyrtæi more citharam simul ac clypeum pari et eadem fortuna gerebat.

Etenim, vel militia implicatus, cum Musis rationem quidem habebat, et si quid otii illi superesset, in scribendis Epigrammatibus, sale nigro conspersis, consumebat. De istis, ex industria, postea dicam. Mihi tamen liceat unum ex illis proferre, quo quidem Ladislai tumulus laudibus exornatur :

Miraris niveis pendentia saxa columnis
Hospes, et hunc, aeri qui sedet altus equo?
Quid si animos, roburque ducis, præclaraque nosses
Pectora et invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit sedibus hostem :
Bisque triumphata victor ab urbe redit :
Italiamque omnem bello concussit, et armis
Intulit Etrusco signa tremenda mari.....
I nunc, regna para, statusque adtolle superbos
Mors etiam magnos obruit atra deos (1).

Rebus adversis atque fortunæ variis ancipitibusque casibus non potuit quin jactaretur Syncerus. Consecuta sunt enim ejusmodi tempora quæ florentissimam Arragoniorum familiam in extremum adducerent, penitusque continuis regum funeribus perderent atque delerent.

14. — De Gallorum in Italiam irruptione.

Adde quod Carolus rex Galliæ, qui totius Italiæ dominatum appetebat, adduxerat in animum ut Neapolitano regno Ferdinandum spoliaret, jamque magnas et undique copias comparaverat. Si Etruscorum rerum scriptoribus fides adhibenda est,

1. *Epigram.*, lib. I, 4.

Caroli nostri irruptiones, idoneam causam nactæ sunt, nec tantum ab ingenio acerrimo aut atroci profectæ sunt. Non pauci quidem ex Ferdinandi aulicis, Galliam adiverant ut Carolum pellicerent et adhortarentur ad illorum invadendam patriam, multis enim tædio erat, in administrandis rebus publicis, Ferdinandi ratio. Isti vero in societatem consilii, Syncerum non receperant, nam ille, contra, magno et volenti corde mala omnia hostibus imprecans, in quodam Elegia conclamavit :

Justa precor; Latiis utinam discedat ab oris
Hostis, et indecori victus oberret equo.

Non armis tantum, consilio autem et opere, eo tempestate, suos concives tuitus est Sannazarius. Etenim, cum Neapoli potitus Carolus noster (1496), civitati victæ cancellarium, Roccaforte nomine, præfecisset, nil intentatum reliquit Syncerus ut suos miseriis levaret, fractosque animis omni cura intendit, ut spe dulci leniret et mutabiles rerum fortunas audacia frangeret. Nulla tunc æqua judicia fiebant ; sed qui provinciis captis præerant, maleficiis et scelere pascebantur, et cuncta denique ex victorum libidine non ex legis ratione gerebantur. Tanta rei atrocitate commotus Sannazarius, egit sedulo cum Petro de Roccaforti, cujus fidei regni Galliæ negotia commissa erant, ut ejus apud regem auctoritate modus injuriis aliquando statueretur, ad quem etiam Elegiam misit, in qua scilicet Astræam cum ipso conquerentem inducit (1).

15. — De variis Italiæ fortunis.

Cum mihi non sit equidem Italica bella illiusque facinora enarrare, non amplius de istis disseram. Non possum tamen Ferdinandi mortem quæ ann. 1494 accidit, oblivioni dare, illa enim, Neapolitanum regnum Alphonso filio translatum est. Ille quidem, moram suorum improbitate, omnes populi sui principes sibi invisos fecerat, et ab illis cum nullum auxilium sperare

1. « Quis credat? tectis cives pelluntur avitis;
« Adrogat injustas dum sibi fiscus opes;
« Fiscus opes miserorum hoc est, heu, parcere victis?
« Hoc est Ausonio reddere jura solo?...
« Culpaturque fides domino servata priori,
« Et maris et terræ non labefacta minis.
« Scilicet est crimen duram contemnere mortem,
« Scilicet est reges crimen amare suos! » (*Eleg.*, I, 8.)

posset, pristinæ virtutis immemor, fortunæ cuncta permittens in Siciliam confugit (1), ubi, magnum Neapolitanis commodum haud multo post e vita excessit ann. 1495.

Ferdinandus itaque, secundus nomine, ejusque filius, cujus mores paternis moderatiores erant, administratione regni suscepta, quantum potuit Gallorum armis restitit. Non illi vero successit fortuna, et frustra magnis viribus adversus paternos hostes debellans, ex avito regno depulsus, omnia passus est ultima. Ad casum extremum depulsus, non ideo spem abnuit; sed Carolo peropportune in Galliam revertente, incredibili celeritate et virtute turmas Gallorum prælio fudit, remque amissam recuperavit. Mors autem immatura, quin regni status componeret, inhibuit. Ista etiam, ad Federicum illius patruum potestas omnis translata est, ann. 1496.

16. — Federici haud gratus animus.

Vix ille regnum adeptus est, omnes quibus familiariter utebatur antecessor suus nescio quo tædio habuit, ex hoc etiam numero, ne Sannazarium quidem socium assumpsit. Imo, illi semper in regis clientela habito, vix sumptum annuum largitus est, quo illi sexdecim millia H. S. quotannis ex ærario solverentur, rus item suburbanum in Pausilyppi montis latere situm, quod Mergillines vocatur, tribuit.

Ægre admodum, officiorum suorum tam exiguam mercedem sibi allatam, Syncerus tulit, indignationique suæ indulgens, epigrammate acuto, regem veterum beneficiorum haud memorem perstrinxit.

1. Non ille fuit Syncerus, qui fugam istam æquo animo toleraret, hunc vero a quo, haud ita pridem, Turcarum turmæ fugatæ fuerant, contumelia notat :

« Il nome tuo da quante carte vergo
« Sbaudito sia; che piui ch' i non vorrei,
« E' per me noto; ond' or da' versi miei
« Le macchie lavo, e' l dir pulisco, e tergo. »
(Rime. II, Son. 56.)

« Scriva di te chi far gigli, e viole
« Del seme spera di pungenti urtiche...
« Scriva chi fama al mondo aver non vuole,
« A cui non fu giammai le Muse amiche,
« Scriva chi perder vuol le sue fatiche
« Lo stil, l'ingegno, il tempo e le parole...
« Scriva in vento, ed in acqua il suo poema
« La man che mai per te la penna tolse. (Rime. II, Son. 57.)

Scribendi studium mihi tu, Federice, dedisti
  Ingenium ad laudes dum trahis omne tuas
Ecce, suburbanum rus et nova prædia donas,
  Fecisti vatem, nunc facis agricolam (1).

Otiosam tamen et vitam quietam, solis pœseos laboribus implicatam, diutius agere non licuit Syncero. Etenim quadriennio vix elapso, Ludovicus XII nomine rex Galliæ nostræ, cum Ferdinando Hispaniarum rege fœdus percussit, Alexandro pontifice summo suadente, ut Federicum ex illius sedibus expellerent. Res autem Neapolitanæ eo deductæ sunt, funditusque eversæ ut regni possessione spoliatus Federicus, exsulatum ire coactus fuerit. Tunc Ludovici magnanimitati fidus apud eum in Galliam recessit (1501).

17. — Regem suum in exilio sequitur.

Eo casu, Sannazarius, haud recentis injuriæ memor, præclarissimum fidei exemplum præbuit. Cum vix pauci adversæ regis fortunæ cultores essent, sine mora ad eum infelicem se contulit et eum in exilium secutus nunquam ejus latere discessit,

Donec fatales Turonum accedere muros
  Permittant fata sinistra duci (2),

ut illius verbum in lucem prodam. Imo, portorio quodam alteroque prædio quo in Italia fruebatur, publicatis, argentum e venditione collectum regi suo libentissime obtulit, vix aliquam pecuniæ partem ad necessitates vitæ sustentandas sibi reservans. Non potuit Federicus quin tanto commoveretur studio, subsidium tamen recusavit, suisque contentus præsidiis quæ, annuo sumptu, liberaliter auxerat Ludovicus, Sannazarii amicitiam solummodo, fortunæ adversæ haud exiguum solamen, accepit.

Priusquam ad Galliam exsul proficisceretur, Syncerus noster, Neapolim perbelle his dictis celebrare voluit.

Parthenope mihi culta, vale, blandissima Siren,
  Atque horti valeant, Hesperidesque tuæ.
Mergellina vale, nostri memor, et mea flentis
  Serta cape, heu domini munera avara tui.
Maternæ salvete umbræ, salvete paternæ
  Accipite et vestris turea dona focis.

1. *Epigr.*, lib. I, 1.
2. *Eleg.*, lib. III, 2.

Neve nega optatos, virgo Sebethias, amnes;
Absentique tuas det mihi somnus aquas.
Det fesso æstivas umbras sopor : et levis aura,
Fluminaque ipsa suo lene sonent strepitu.
Exilium nam sponte sequor. Sors ipsa favebit :
Fortibus hæc solita est sæpe et adesse viris.
Et mihi sunt comites Musæ, sunt numina vatum,
Et mens læta suis gaudet ab auspiciis.
Blanditurque animi constans sententia, quamvis
Exilii meritum sit satis ipsa fides (1).

Pontanus ipse, quanquam dilecti sui discipuli rationem agendi non imitatus est, non potuit quin eum laudibus eximiis ornaret, et omni dubitatione excussa, his verbis exsulem prosecutus est.

Ah fatum crudele hominum, et sors invida votis!
Ignotos nunc per populos, per Gallica regna
Horrentem ad Rheni ripam, atque ad Norica saxa
Exsulat, oceanique vada ad squallentia tabo
Navifragum, extremos queritur Syncerus ad Anglos.....
At nympha e scopulis, summique cacumine saxi
Incusatque deos, cœlumque et sidera damnat (2).

18. — Codices veteres invenit.

Apud Turonenses, locum domicilio elegit Syncerus, nulloque intermisso tempore, sed omnibus posthabitis querelis, otium suum litteris transmisit. Res suas feliciter gessit, nam magno sane thesauro litteras auxit, ei enim et hoc quoque nomine æternum debebunt Musæ Romanæ, quod princeps e bibliotaphiorum pulvere in hominum eruditorum manus protraxerit vetustissimos codices, multis antea sæculis invisos, scilicet Ovidii fragmentum de piscibus (3), Gratii Falisci et Olympii Nemesiani carmina de venatione, Rutilii Numatiani itinerarium, ne quid dicam de emendatioribus quam fuerant antea, Martialis et Ausonii codicibus. Votis ejus profecto annuerat Deus, cum Syncerus diceret :

Prosit, amicitiæ sanctum per sæcula nomen
Servasse, et firmam regibus usque fidem (4).

1. *Epigr.*, lib. III, 9.
2. *De Hortis Hesperidorum*, J. Pontanus.
3. A Plinio quidem. Ovidio tribuitur, a Wensdorff autem Gratio.
4. *Eleg.*, l. III, 2.

19. — Federico mortuo Neapolim revertitur.

Cum autem Federicus diem ultimum obiisset, omnibus erga eum pietatis officiis rite persolutis, desideriis patriæ flagrans, anno post Christum ortum 1504, Neapolim rediit Sannazarius, quam quidem domicilio elegit perpetuo. Non autem desidia marcuit, cum Musis autem, ita ut cum maxime, rationem habuit.

Arcadiam enim, atque egregium poema *de Partu Virginis* quotidie emendabat, suisque amicis, qui ad eum ingenii amœnitate capti et deleniti conveniebant, semper novum aliquod epigramma sale atque urbanitate refertum vel elegiam flebilem recitare solitus erat.

De his, cum mihi in mente sit plenius disserere, breviter solummodo, illa quibus mores agendi Sannazarii illustrantur, referam.

20. — Cassandra Marchesia.

Etenim, musarum discipulus, non is erat Syncerus qui amicitiæ necessitates abnueret, sed ut erat insigni morum elegantia, multum auctoritate apud Joannam reginam valuit, quæ poeta familiariter deinceps usa est. Cum ideo in domo regia versaretur assiduè, Cassandræ Marchesiæ ingenio ac forma præcellentis, e comitatu mulierum quæ circum reginam eraut, amore captus est (1).

> Vitantur venti : pluviæ vitantur et æstus,
> Non vitatur amor. Mecum tumuletur oportet (2).

His verbis seipsum declaraverat Syncerus, qui iisdem fere quibus antea Carmosinem celebraverat laudibus, Cassandram exaltavit, istudque ex Epigrammatibus, exempli causa, liceat ponere.

> Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
> Cassandra una choris addita diva tribus.

Hanc vero, paterno quodam amore prosequebatur, nec fides adhibenda est querulis quæ nobis facile fucum facerent, aut

1. *Eclog. piscat.*, II.
2. Cf. E. Nunziante, *Un divorzio ai tempi di Leone X*. Roma, 1887.

senis cujusdam protervi mentem incusarent (1). Veterum enim Platonicorum more, occultam animi pulchritudinem ex corporis dignitate conjiciens, in ejus potissimum contemplatione mentis oculos defigebat. Omnia ideo illi præstitit amicitiæ officia ; quin etiam, ad summum pontificem pro illa causam dixit. Quidam enim, Alphonsus Castriota nomine, vir nobili genere natus et maximis circumfluens opibus, ut Cassandræ animum sibi facilius adjungeret, puellæ pollicitus est, se illam uxorem ducturum ; mox vero fœderis pœnituit Alphonsum, et quam antea magno prosequebatur amore, ex improviso, despectui habuit. Quod ægre ferens Sannazarius, multum operæ ac laboris consumpsit ut a Leone X, pontifice maximo, matrimonium ratum foret nec a promissis solveretur Alphonsus. Illud vero quod impetrare nequivit vix æquo animo ne iniquiore dicam, postea, de Leone loquentem, Sannazarium effecit (1). Frustra ideo cum de præclaro poemate Synceri audivisset Leo, ad eum litteras dedit quibus ei singularem in Deum pietatem vimque ingenii admirabilem gratularetur, eumque, ad perfectum jam opus quam primum edendum hortaretur; poema apud se continuit Sannazarius, dum e vita Leo migraret.

1. Cf. E. Nunziante, *Un divorzio ai tempi di Leone X*. Roma, 1887. — His verbis de Sannazarii cum Cassandra amoribus, sic ille loquitur : La conobbe dunque subito; e forse sin d'allora, al vederla e giovane e sventurata, la prese ad amare e proteggere di quel premuroso affetto paterno, il quale spunta naturalmente negli animi gentili inchinati a compatire... il commercio intimo dello spirito, e la lunga consuetudine che durò tra loro, resero necessaria questa donna al poeta, e gli fu come nume tutelare, senza del quale non un pensiero degno gli spunta nella mente, nè cosa gli riesce a compiere che gli paia buona », p. 39. — A questo si riduce tutta la passione amorosa che il Crispo attribuisce a Jacopo per la Cassandra; passione che, secondo lui, accese tanta face di gelosia nel petto di Alfonso Castriota Marchese d'Attripalda, marito della bella donna », p. 40.

F. Torraca, in libello quodam, cui titulus *Jacopo Sannazaro*, Napoli 1879 » inscribitur, de iisdem amoribus sic se habet : « Le vorrà bene, lui maturo, come a figliuola, e se canterà di lei, non saprà fare a meno della falsariga del Petrarca; segno certo che l'affetto non è divenuto passionne profonda, insistente. Che piu? Non è passione, perchè non porta nessuna traccia di quell' egoismo, ch'é tanta parte d'un amore veemente : Jacopo vedra con piacere Cassandra andar sposa d'un altro; e quando il fidanzato verrà meno alla promessa, metterà sossopra cielo e terra per costringerlo a mantenerla », p. 22.

2. Cf. Nunziante, *Un divorzio ai tempi di Leone X* (1881), in quo quidem, accurate et magno cum favore erga Syncerum, actionis mutabiles vices narrantur.

21. — De-Partu Virginis Clementi VII misso.

Quo mortuo, opus Clementi VII, scriptoris nomine, allatum est. Pergratum ac perjucundum sibi munus fuisse, Clemens per litteras significavit, quibus etiam justas et debitas pro munere gratias agebat. Sannazario gratulabatur enim, quod id esset consecutus « quo nullum majus homini bonum in hac vita existere posse videatur, illud jam summum et incomparabile veræ immortalitatis donum ». Syncerum etiam, si famæ saltem credendum est, ducem eligere cupiebat in Columnensium bello, quo, eo tempore, impediebatur Pontifex. Non nobis apertum est quanam ratione id gratiæ non potuerit ad poetam deferri, bellum istud vero causa fuit, cur in recipiendis præmiis moram quamdam expertus fuerit.

Iisdem ferme temporibus, stabuli comes Borbonius, Romam expugnavit oppido, eamque ferro et igne vastavit. Pestilentia quidem tunc etiam accidit quæ omnes fere regiones paulatim populata est, Neapolimque præcipue fœdavit. Multi tum e primoribus civitatum fugere, quos, imitatus est Syncerus nedum a proposito deterreret (1); etenim ad Vesuvii radices confugit.

Ibi Cassandram invenit multis jamdiu ab annis commorantem. Hujus domum, etsi ab ædibus suis mille passus distabat, poeta, quotidie, mulierem salutatum veniebat, ita ut cunctis tanta amoris in sene constantia vehementer admirationi esset.

22. — Mergillines vastatur.

Haud multo interjecto tempore, nuntii pessimi certior factus est Syncerus. Jussu nimirum Philiberti Aurantii, Cæsariani exercitus ducis, villa ejus, Mergillines, in qua Gallorum cohors ad excubandum consederat, a militibus funditus diruta fuit, ne ab hostibus rursus occuparetur. Ea res, acerbissimum dolorem incussit poetæ, odiumque tam inveteratum, si Jovio saltem credendum est, peperit ita ut, cum tandem in pugna eum occisum fuisse audisset, ipse, graviter ægrotans mortique jam proximus, libenter se de vita migrare testatus fuerit postquam barbarus

1. « Avenne poco dopo sacchegiata Roma, che Napoli fu infestata di crudelissima peste, laquale fuggendo il Sannazaro con altri nobili Napoletani ricovero in Somma. G. Bat. Crispo da Gallipoli. »

ille imperator, violatis Musis, quibus villa sacra erat, interitu suo pœnas dedisset.

Viribus tandem ætate confractis, omni ope atque opera contendit ut Mergellinem villam e ruinis suscitaret; de monasterio enim ibi extruendo cogitabat, quod quidem amplissimis divitibus munivit Beatæque Virginis titulo dicavit.

23. — De Synceri morte.

Vix illo grati munere animi erecto, diem supremum obiit Syncerus, annum agens 72; ab humano genere servato 1530.

Rerum scriptores certant de loco ubi e vita migraverit Syncerus, quod quidem perbelle apud Giannone videtur, quem testem, adhibere liceat.

« Alcuni scrivero che morisse l'anno 1532. Ma vie gran contesta fra scrittori intorno al luogo ed' all' anno della sua vita.

« Giovan Battista Crispo che scrisse la sua vita con molta esatessa per lo testimonianza che egli rapporta di Ranerio Guarlano, lo fa morire in Napoli, siccome anche serisse l'Eugenio. Ma l'autorita di costoro deve cedere a quella di Gregorio Rosso scrittor contemporaneo, il quale ne suoi giornali, rapportando in due luoghi la morte di questo insigna poeta, accaduta nel tempo che egli andava stendendo que suoi componimenti, dice che mori nel mese d'Agosto in Roma, senza veder piu Napoli, poco dapoi della morte del Principio d'Orange, della quale si compiacque tanto, che nell' estremo di sua vita non tralascio di dire che Marte avea fatto vendetta della Muse, alludendo alla sua Tore di Mergoglino diroccata per ordine del Principe; e che il suo corpo fu transferito a Napoli et sepolto nella sua chiesa di Mergoglino nel sequente mese di Settembre di quel' anno che fù il 1530.

« L'anno parimente viene chiarito da questo scrittore, al quale concorda l'iscrizione del suo sepolcro, nella quale non vi è errore alcuno, come credettero il Crispo et l'Eugenio, poi chè essendo nato nel 1458, e concordando quasi tutti col Giovio, che mori di 72 anni, viene a cadere la sua morta appunto nel suddetto anno 1530. La morte accaduta del principe d'Orange a 3 Agosto del detto anno, conferma lo stesso, essendo poco innanzi preceduta a quella del Sannazaro (1). »

1. Cf. *Istoria civile del Regno di Napoli*, P. Giannone, III, 28. — Qui vitam a G. Crispo de Sannazario editam, notulis amplificavit, non in hanc

Cum mihi non sit componere litem, Basilii Zanchii versus aliquot in lucem prodam, quibus Sebethum flumen, figmento quodam poetico, Synceri mortem lugens taliaque ex præcordiis dicens exponitur.

24. — Æqualium laudes.

Quis te Syncere, deorum
Abstulit, et nostris invidit, candide, terris?
Hoc erat, hoc latices quod jam mirabar amaros.
Quod prærupta procul fumabant summa Vesevi.
Tu vero, quid membra foves? age lumina solve
In fletum : lacrimisque diu testatus ademptum
Et tumulum statue, et tumulo solemnia mitte (1).

Idem etiam, eadem erga Syncerum benevolentia ductus, carmen alternis versibus inscripsit, dignum quidem quod commemoretur :

Has nassas, hæc lina tibi, Syncere, sepulto
  Piscator tenui dedicat arte Mycon.
Hos calamos, myrtumque tibi, viridemque coroñam
  Arcadia pastor ponit ab arte Lycon.
Has lacrimas, vulsamque a vertice Mergillina
  Cæsariem, et violas spargit et ammineum.
Parthenope patria ipsa tibi de marmora bustum
  Condit, et extentis funera temporibus.
Quid moror? æterni te suscipit umbra Maronis
  Et tibi vicinum donat habere locum.

Carmen istud, quamvis sit egregium, non tumulo incisum est, pluris enim Bembi epigramma fecerunt, quod quidem ipse ponam.

Da sacro cineri flores, hic ille Maroni
  Syncerus musa proximus ut tumulo.

Vicinum enim Vergiliano cineri, ad Pausylippum, tumulum erexerant familiares Syncero ut qui arte pares et studiis, monumentis etiam conjungerentur.

sententiam plano pede descendit; illius sententiam adducam etsi non eam admittendam reputo. « Il Porcarchi ha che morì in Roma, e cosi anche il volgarizzatore del Giovio; e'l Boccalino, che al suo solito fiero aggiunge, che vi morí con penuria di tutte le cose; cosa falsissima : e che quindi fu condotto in Napoli a Mergellino. »

1. *Nœnia in Act. Sync. Sannazarium.* Baz. Zanchius.

25. — De Synceri tumulo.

Sepulchrum vero ex Pario marmoreo elaboratissimum exsurgebat (1). Nilque eo nitidius nil operosius si cuidam Guicciardino assentimur. Dimidiata siquidem Synceri ad vivum effigies ac lauro redimita sepulchri in apice collocabatur, et ludentes satyri Christiani vatis ad tumbam choreas ducebant. Binæ hinc inde assidentes adstabant e marmore constitutæ, Minervæ scilicet et Apollonis statuæ ; quas ne omni ex parte ethnicismum, « Vergiliani christiani », vatis redoleret sepulchrum, perfractis Apollinis lyra ac Minervæ hasta, cœnobitæ qui obtinuerant locum, nullo negotio in Davidem ac Judith transmutavere.

Idem rerum scriptor a quo tumuli descriptionem mutuatus sum, ut omnia quiescenti Sannazario bene cedant sic in « Mercurio Campano » precatur.

Actius hoc recubat nitido sub marmore vates
  Cui radians Phœbus laurea serta dedit.
Hic vernet tellus; flores, tu funde viator,
  Vatemque irroret docta Camœna suum.
Huc rivi, huc fontes, tenui properate susurro,
  Ut vati obveniant somnia grata meo.
Æquora, bacchantes ultro compescite fluctus,
  Ut litus dulci murmure plauudat Io.
Æolus obscurum ventos impingat in antrum,
  Ne sacros cineres dissipet aura furens.
Si que, Vesuve, tuis gaudes splendescere flammis,
  Sis Vati æternum lampas honora meo.

Ne sim infinitus, alia prætermittam epigrammata quibus Synceri laudes proferuntur; summa enim familiaritate utebatur cum illis qui, ea tempestate, eodem litterarum studio tenebantur, vixque unum recitarem cui mors illius non magno luctui fuerit. Etenim quos semel in amicitiam recepisset, iis usque ad extremum spiritum inviolatam fidem servavit, ut Vulpianis verbis utar, neque unquam commisit, ut aut beneficiorum oblitus, aut in difficultatibus periculisque amicorum lentus ac negligens videri posset. Hanc sane fidelitatis constantiæque laudem, tanquam ipsius propriam et singularem, omnes, Actio Syncero

1. Cf. *La Tomba di J. Sannazaro e la chiesa di S. Maria del Parto*. B. Croce, 1892.

tribui, una voce prædicabant. Illorum tantum nomina prodere cum quibus familiariter versabatur, magni injucundique laboris esset. Ab eo tamen non abhorruit jam laudatus Vulpius qui illos, ne uno quidem excepto, nominatim profert (1). Synceri amicitiæ, pari amicitia et amore respondebant, illudque, uno Valeriani carmine valde probatum esse videtur.

O faustos hodie meos ocellos,
Queis tantum licuit videre pulchri!
Ut nunc subsiliuntque gestiuntque!
Ut cordi, utque animo, intimæ ut medullæ
Spargunt illecebras petulciores!
Queis demum licuit videre amatam
Illam illam facien optimi poetæ
Actii, qui Italicum melos polivit,
Actii, qui columen chelys Latinæ;
Qui summum decus Attici est leporis.
O faustos hodie meos ocellos!

26. — De morum indole.

Multis enim jucunditatibus Sannazarii indoles florebat, omnique lepore et venustate cum affluens esset, humanitate maxima suos habebat amicos, quos quidem, cum honestis deambulationibus tum sermonibus lepidissimis, id quod erat temporis, reficiebat. De illius agendi more nos certiores facit unus e suis, Alexander nomine, quem adloquentem afferre, mihi dedecori non sit. « Accipiebat nos homo ille, inquit, suavitate insigni, plerumque novo Epigrammate, aut Elegia, versibus mundis et graphice factis, multo cum nitore et cultu, nonnunquam festivissimis epulis et lætiore convictu, cœnaque non vulgari nec protrita. » Tullium vere diceres cum Lælio in Tusculano prædio, de liberalibus artibus fuse disputantem.

Invidiæ tamen atque maledicorum contumelias non potuit quin vitaret omnino, sed sale multo acutisque epigrammatibus eos redarguit, et in una ex suis Elegiis sic graviter detractores increpans alloquitur :

Quid ruis in sacros, temeraria turba, poetas?
Sævaque mordaci prælia dente moves?

1. Cf. *J. S. Sannazarii vita*, A. J. Ant. Vulpio.

Desine sacrilega convicia fundere lingua
  Desine, pro populo stat deus ipse suo (1).

Non is erat tamen qui diu buccas inflaret, insectationi ideo parcens, ad carmini suo fastigium imponendum, a Musis ut sibimetipsi ignoscatur postulat :

Et vos ovatum certissima numina, Musæ
  Numina carminibus non violanda meis
Parcite, si vestras nunc primum læsimus aures
  Justa lacessita sumpsimus arma manu (2).

Carmen ipsum dixeris erubescere, dum contumelias retorquet, ut Altilius perbelle animadvertit, at cum laudat, quam plenus, quam lætus, quam teres, atque, ut Horatii verbis utar, rotundus! Neminis enim odio ardens, ut quibusdam scriptoribus mos est, poetisque præsertim quorum « irritabile genus », non invidia laboravit Syncerus, omnibus vero qui tunc fuerunt semper auxilio fuit, eosque, magnis protulit laudibus, nedum eis nocuerit.

Etenim, ne unum quidem fugit, quam eximia laude Pontanum ornaverit, imò quamvis carminis dignitate, latinique sermonis elegantia procul dubio hunc superasset, nihilominus quoties se præbuisset occasio, de Pontani ingenio, eruditione, et sapientia cum familiaribus, honestissime loquebatur. Cujus etiam scripta, e domesticæ bibliothecæ tenebris, primus in lucem evocavit.

Usquequaque tamen, unum erat cui semper inimicissimus fuit et a quo commotus, non potuit quin acerbe vituperaret, carmen scilicet quod poesim affectans Pindaricos flores non redoleret. Alacri animo perstringens atque vellicans ita in istud probris procacibus jaculabatur :

Si sapis, hospes, abi, miserum neu tange libellum
  Non hic Mœoniden, Vergiliumve leges :
Sed fœdas Bavii chartas et olentia Mœvi
  Carmina, Romani dedecus eloquii.
Quid dubitas sacros incendia poscere lucos
  Abnuerit liquidas si dare Phœbus aquas.

Dicacitatis etiam, qua plurimum pollebat, multa in lucem

1. *Eleg.*, l. I, 11.
2. Id., ibid.

exempla prodiere, quorum, rerum illius scriptor meminit; auctoritate illius fultus, mihi satis sit referre quonam acuto orationis genere, Consalvum Cordubensem quadam die allocutus sit Syncerus. « Cum omnia frustra expertus esset Consalvus, ut egregium poetam sibi conciliaret, id tandem consilii cepit, ut ad visendum Puteolanum agrum, veterum ædificiorum ruderibus, ac subterraneis ignibus admirandum, eum sibi potissimum ducem itineris deposceret. Sannazarius itaque tanta fortissimi viri comitate victus, ejus voluntati morem gessit. Cum itaque Consalvus iter ingressus, de recentibus Hispanorum victoriis magnifica oratione locutus fuisset, jamque ad speluncam, in ipso Pausilypo monte excavatam, qua Puteolos itur, appropinquassent, tempus est, inquit, poeta, ut postquam res Hispanæ satis a nobis verbis ornatæ sunt, de rebus gestis ac Italorum virtute pauca dicamus. Atque ibi, de infinito prope servorum numero quem Romani olim ad eam specum effodiendam adhibuissent narrare cæpit; multa de veteri historia depromens, eoque tandem sermonis cursu devenit, ut diceret, Hispaniam quæ olim Italorum imperio paruisset, longinqua conversione temporum victoribus suis jussum imposuisse. (1) »

Ut extremum habeat aliquid de Sannazarii vita, oratio mea, saltem vel paucis, filium ejus unicum commemorare mihi liceat. Ex qua muliere illum susceperit nos fugit, cum omnibus apertum sit, nunquam Syncerum justa connubia duxisse. Imo, quo nomine hunc vocaverit nescimus, vitaque filii nos omnino præteriret nisi immaturo sorte raptum, amare deflevisset pater. Igitur eum audiamus (2).

Cur heu, lætitiam falso dixere parentes
  Tristitiam qui me dicere debuerant?
Natus erat miseræ lux unica matris, ocellus
  Unicus; hunc Lachesis noxia surbripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi, cujus habet sors
  Hoc melius, fieri saxa quod potuit.

1. Cf. *Sannazari vita*, a J. Vulpio.
2. Magna cum alacritate, Scherillo, in jam laudato opere quod de *Arcadia* scripsit, Crispo succenset : « Il Crispo, inquit, gli regala un figlio naturale solamente perchè ha scritto l'epigramma 49 del l. II. in quo ploratur filius unicus. Ma il povero Sannazaro non parla a nome suo, ma di una signora Letizia, madre sfortunata. » Scherillo tamen, cum asseveratione nec argumentorum expositione sententiam suam probet, etsi de Sannazarianis rebus peritissimus sit, non nobis tanti esse videtur ut omnes ad arbitrium suum adducat.

Gens Sannazariorum, quæ tot sæculis Neapoli floruit, mortua nepte Marci Antonii fratris Actii, quam in matrimonium duxerat Camillus Morumilius Neapolitanus patricius, tota deleta est.

Habent sua fata gentes!

II

DE SANNAZARIANIS OPERIBUS IN GENERE

Ne Sannazarii ancipites et varios casus, illiusque vitæ ordinem moraremur, nil adeo fere de ejus operibus dixi. Quæ quidem ideo, nunc enumerare, præcipue idoneum visum est.

Scripsit tanquam ambidexter Etrusca simul atque latina carmina, pari lepore saleque, arridentibus utrimque Musis, ut Jovii verba referam. Nonnulla etiam, Petrarchæ modo edidit carmina, suadentibus vitæ suæ fortunis, quæ quidem ambitiosam in loquendo jactantiam redolent, haudque longe a declamatione aberrant.

1. — De Arcadia.

In his quæ vernacula scripsit lingua, opus illud in primis eminet quod *Arcadia* inscribitur. Quæcumque dum viveret egit, quæ amore vel odio prosecutus est, cum oratione soluta tum versiculis elegantiori modo in laudato opere narrantur. Multa nos etiam docet de familia, matre et amicis suis, quos, mutatis nominibus adumbrat; Carmosinæ præsertim, amicæ suæ, aut vita vigentis aut sorte immaturo raptæ, lyrico modo nusquam præconium intercidit.

Opus illud tamen, quasi juvenili quodam fervore effusum (1), nedum ætate provectus probaret, quodam semper tædio habuit

1. Summontius, in illa emendata editione quam, de *Arcadia*, ut amico suo Syncero pareret, in publico ann. 1504 proposuit, nos docet illam a Sannazario multis jam ab annis scriptam fuisse : « nella prima adolescentia del' poeta » ut ipsius verbis utar. His dictis plane consonat Sannazarius cum in Elegia ad Cas. Marchesiam (III, 2), asserit se : « pastorum numero sylvestria primum primum tentavisse » et « lacrymis pia saxa » commovisse, illis quidem diebus quos in prædiis maternis consumpsit cum e vita vix pater

adeo ut vix quieto animo, istud ferret ab iis qui tunc erant, magnis laudibus extolli. Frustra per gentem Italorum laus istius evaserat, tanquam ludum juvenilem, ne errorem dicam, cujus jam ipsum ætate maturum pœniteret, semper *Arcadiam* duxit. Etenim, tanti solummodo faciebat illa quæ sermone latino scripserat (1).

2. — De Piscatoriis.

Piscatorias suas Eclogas ideo, sermone latino condidit, eodemque usus est in carmine, quod *de Partu Virginis* inscribitur. Latinum sermonem quidem sibi usurpandum arbitratus est, qui, cum ad excultissimum studiis quemque tunc temporis virum, tum ad posteros solus, ut sperabat, æternum spectaret. Quid est enim quod eruditorum hujus ætatis virorum amorem ac pœne furorem expromam quo redivivam amplexabantur vetustatem? qui tantus erat ut linguas hujus sanctissimæ vetustatis thesaurorum custodes, atque imprimis latinam dignas tantum ducerent, quibus sensus si quos exquisitiores atque sublimiores conceperant, posteris traderent. De hoc tantummodo meminisse mihi satis erit, ut prompte intelligatur qua de causa Sannazarius, tum quidquid hominum litteris eruditorum ea tempestate in Europa erat, vernaculum sermonem, latinum posthabuerit. Sic, exempli causa, *Divinæ Comœdiæ* poeta, pene sublimissimum opus, Vergilii lingua conscribere, primo secum cogitaverat; sic Petrarcha, nec non et Boccacius, alter *Africa* sua, alter *Idylliis* latine conditis, sic postea Pontanus *Urania Sylvis* Politianus, *Christiade* ac *Poeticorum libris* Vida, *Laoconte* Sadoletus, sic apud Scotos *Psalmis ac Tragœdiis* Buchanam, apud Germanos *Eclogis* Heinsius, apud nos tandem *Pœdotrophia* Sammarthanus, ut illos tantum inter tot alios

suus excesserit. Ille vero ann. 1463 fato suo absumptus est. — Doctus autem Percopo (*La prima imitazione dell' Arcadia*, Napoli 1894) monumentis publicis fultus, in quibus Sannazarius jam inter familiares Calabriæ ducis ann. 1482 numeratur, sententiam novam, verbis aperit quæ, quantum ego conjectura assequor, litem plane componunt. Illum ergo audiamus : « Mettiam pure che cio avvenisse in sui vent' anni (qualchosa di piu della prima adolescentia); allora, poiche il Sannazaro nacque nel 1458, l'Arcadia doveva essere già bell' e scritta e divulgata intoruo al 1478. Cf. § v.

1. Vulgus tum grassabatur error, non honore digna esse quæ sermone vernaculo scriberentur, quod quidem apprime Sansovino notat : « si avvide il Sannazaro, che le cose volgari non erano per fargli molto onore. » Cit. in ann. all. vit. di Crispo.

musarum latinarum cultores nominem, certius quam operibus vernaculo sermone conscriptis, nomen in posterum sibi parari posse existimavere. Quidam etiam vel amplissimis ecclesiæ dignitatibus ornati, libris Sacris æternum vale dixere, ut ni fallor, de cardinali Sadoleto, uno ab epistolis Leonis X, ferunt, quia nil Tullianum redolerent.

Consuetudine tamen agendique more hac tempestate præstantibus, non is erat Sannazarius qui duceretur, nisi multæ aliæ causæ illum impulissent ad linguam vernaculam flocci faciendam fereque omnino despiciendam.

3. — De Ciceronianismo.

Etenim, eo ipso tempore, cum Sannazarius summo studio in litteris versaretur, viri liberalium artium studiosi, qui quidem vernaculo sermone utebantur, vix uno aut altero ademptis, desciverant ab elegantia scribendi, contemptisque veterum exemplis, novam quamdam rationem excogitaverant aures imperitorum demulcendi, quæ, longe lateque diffundebatur. Qui tunc enim dicendi generis laudem appetebant, modo cuidam indulgentes, et concisis sententiis interdum etiam non satis apertis, aut brevitate vel nimio acumine ut Tullius ait, elatione atque altitudine orationis suæ, mentem perstringebant. Magnifice loqui, quamvis non esset expedita et facile currens oratio, dummodo sententiis concinnis altius exurgeret, illis perfectum opus esse videbatur.

Laus magna igitur Sannazario debetur quod summo conatu aggressus fuerit ad mentem in melius revocandam, quæ quidem res ipsi ex sententia successit. Etenim, sanum ac splendidum orationis genus, paulatim vehementer probari cæpit. Adde quod cœtaneos suos docuit etiam Sannazarius moram et limæ laborem. Ne unum quidem fugit enim quantum operæ ac laboris consumpserit in carmine *de Partu Virginis* ut omnibus numeris absolutum perficeret (2).

1. Cf. *De Ecloga piscatoria*, Campaux.
2. Ex litteris quas ad Sannazarium miserat Sadoletus ut illum de grato animo Clementis papæ VII certiorem faceret, aperte constat, jam ann. 1527 *de Partu Virginis* carmen, in publicum pervulgatum fuisse. Conjectura ideo colligere haud absonum esset, Sannazarium opus suum ferme ann. 1500 aggressum fuisse. Syncerus enim multis in locis asserit se plus quam viginti annos ad carmen absolvendum insudasse.

4. — De Partu Virginis.

Etenim, in hoc ipso, non solum voluit cum antiquitate ipsa contendere Vergiliumque provocare, verum etiam se ipsum, quodammodo superare. Infinitos ideo ad illud poema perpoliendum, labores insumpsit, atque perpetuis annis viginti accuratissime castigavit, lucubratissimus suarum tristis ac morosus omnino censor. Et quanquam subtili judicio prædítus erat, quo et a pravis recta et a mediocribus optima discernere posset, ipse tamen sibi diffisus, ad Franciscum Sudericum senem doctissimum, multis jam ab annis oculis captum, assidue veniebat, cumque illo de versibus a se nuperrime factis communicabat. Quem ferunt auribus adeo fastidiosis fuisse, ut a Syncero decem interdum versus in eamdem sententiam recitarentur antequam illi plane satisfieret.

Ob hanc nimiam in scribendo diligentiam, non ineleganter illi, dictum quoddam Apellis de Protogene, Pontanus tribuere solitus erat « eum quidem manum de tabula tollere nescire », et illud est quamobrem Syncerum « Statarium » vocaverit. Ne unum quidem ideo reperies qui aure arguta præditus, Synceri opera perlegendo, verbum ant sententiam atra linea inquinet, cuncta enim e medio latinitatis fonte hausta esse videntur, ita ut Vergiliumque ipsum legere haud difficile credat.

Æquo animo, ideo æqua noscebat Seripando cum diceret : « io mi sono doluto, e dorrò sempre, che avendo voi un poema tale, quale è il Parto della Vergine del nostro Sincero, ove niente manca, che possa desiderarsi da un artificiossimo poeta, ove non v'è cosa che possa contaminare i buoni, e civili costumi ove solo tra i poeti si trova la verita della religione, ove il verso ha tutti quei numeri che hanno avuto i piu perfetti poeti antichi, da lui prima avvertiti, e poi dal Pontano amor vostro scritti, ove le finzioni sono dolcissime ove finalmente è tutto il vostro Dedalione cio è l'ufficio del vero poeta, mi sono doluto e dorrò semprè, che si legga da maestri della gioventu, o che si veda nella mani de vostri giovani altro poeta (1). »

Multus et pœne infinitus essem, si omnia de Sannazario præconia adhibere voluerim, omnes enim eruditi qui unquam hæc divini vatis monumenta oculis usurparunt, summa cum laude Sannazarii nominis meminerunt. Unum mihi adscribere liceat

1. Lettera a Scipione Ammirato.

quod memoriæ in recensione sua, Petrus Vlamingius Belga prodidit, Petri nempe Lotichii secundi, Germanorum poetarum principis :

Ventum erat ad campum, redit hostis, et ecce cohortis
  Ductor anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, et Aoniæ, cultores dicimus artis
  Immunes belli nos habuisse manus.
Nomen ad Aonidum, Juvenes, confidite dixit.
  Nos etiam mites erudiere deæ.
Quod si forte procul vestras pervenit ad aures
  Syncerus priscis Actius ortus ævis;
Actius Hesperiis fama bene notus in oris,
  Pinguia Sebethi quæ rigat arva liquor;
Illi ego me veteri consanguinitate propinquum
  Glorior, et vates, vatis amicus, amo.

Imo, ut ejusdem verba afferam, ne quis credat, ipsi viventi hos ingenuæ laudis fructus, æstimationem et tanti nominis reverentiam defuisse, sufficiat quod Balthasar, comes Castilioneus, magnum illud Italiæ lumen, litterarum monumentis de eo testatum voluit ; versus nemque aliquos recitatos, Sannazario, sed falso adscriptos et ab omnibus summo cum applausu et admiratione exceptos, statim ubi rescitum fuit, alterius poetæ fœtum esse, minus quam mediocres, ut certe erant visos fuisse.

Nunc si mihi libera est loquendi facultas, bona venia utar, ut, aliquos versus Zanchii addam quibus, non solum Sannazarii præconia sonantur sed illius etiam operis series exponitur.

Acti plectra movet cui lenia pulcher Apollo
  Gratia cui dulci semper in ore sedet :
Te viridis Sebethus habet, te florea Tempe
  Cantantem faciles inter Hamadryadas.
Nunc molles Elegos, nunc culta Epigrammata pangis
  Nunc etiam magno digna Marone sonas.
Nec pudet Arcadia carmen duxisse cicuta
  Quærere nec densas Phyllida per salices;
Nec manibus tepidi tractare coagula lactis,
  Nec calathos lentis texere viminibus.
Et tuæ littoreæ respondent carmina Nymphæ,
  Saltat et ad numeros Naica turba tuos.
Quidquid agis, nam te nunquam cessare putandum est
  Tradere nec molli pectora desidiæ,
Nemo est, crede mihi, te fortunatior uno
  Nec cui tot dederint numina delicias.

5. — De Eclegiis et Epigrammatibus.

De Eclegiis et Epigrammatibus, pauca habemus, nunc saltem dicenda, etenim illa, quotiens vitæ usus aut animi indignatio exegit, Syncerus, variis in locis edidit. Perlegenti vero cuiquam, Sannazarium quasi intus et cute noscere licitum erit. Multa, Latio lepore tincta, omnique laude digna inveniuntur, quædam tamen, de quibus a Marullo dictum libenter referam : « nollem Syncere, nollem. » Non est vero cur illi buccas, irati inflemus; « fecit indignatio versum », nec ille erat quem « Syncerum » ob « morum candorem » vocavere, qui æquo animo facinora quædam toleraret, illisque ideo sale nigro succensuit, eximio tamen dicendi genere saltem usus est, ita ut ne unus quidem sit qui non intelligat, antiquitatem, sermonis latini lepore, provocasse Sannazarium.

III

ARCADIA

1. — Unus Sannazarius in carmine pastorali legi dignus.

Tempus nunc postulat ut Sannazarii opera evolvamus.

Ab *Arcadia* hujus tractationis initium ducam, quæ quidem pastorali poesi adscribenda, a Syncero, ut jam dixi antea, admodum adolescente conscripta, non solum apud eos qui tunc temporis erant magni fuit pretii, cum sexaginta et ultro etiam editiones habuerit, sed apud posteros pluris habita est. Etenim ab Scaligero dictum, neminem vel mediocriter doctum fugit, quo « in carmine pastorali, solus Sannazarius lege dignus reputatur, omnium qui post Vergilium scripsere ».

An opus illud incœperit Syncerus nondum decem annos natus, non omnibus satis perspectum est. Quidam enim non defuere qui, his quæ de illo narrata sunt cito crediderunt, numerorum autem scientia orationisque flumine attente consideratis, multi sunt etiam qui non adduci possunt ut, tam immature, magnum ingenium Sannazario fuisse sentiant.

2. — Arcadia, juvenile opus.

Quidquid autem id est, absque ulla dubitatione, nobis asserere licet, a Sannazario nondum ætate provecto, poema istud conscriptum fuisse. Hac de re, nos ipse quidem certiores facit, cum *Arcadiam* inter juvenilia sua opera numeret. Carmen istud, e Gallia redux, secum apportaverat Syncerus, amici vero cujusdam intemperantia, quæ quidem poetæ magno fuit tædio, in lucem proditum est cum adhuc limæ labore et mora indigeret (1).

1. Cf. *Arcadia di J. Sann.* secondo i manoscritti e le prime stampe. M. Scherillo. Torino 1888. Introd. II.

Attamen, vel Sannazaro nolente, omnes qui illius volumen evolverunt, voce quadam unanimes, quam potissimum suis laudibus *Arcadiam* celebravere, nedum paucis maculis offenderentur.

3. — Quædam de vita sua enarratio est.

In illa, Sannazarius, cum verbis solutis tum numero inclusis, vitam suam et illa quæ illi gaudio vel desiderio fuere fusius explicat, isti etiam quibus familiariter utebatur; amantissimo sermone nobis quasi in conspectu collocati esse videntur. Cuncta vero translatione continua verbisque mutatis, in medium proferuntur, ita ut explicatione quadam indigeamus ad illa quæ narrantur intellegenda. Ideo, multi fuere quibus haud ingratum visum est arcana prodere, perfeceruntque ut nobis qui pastorum nominibus adumbrantur omnino noti evaderent. Auctores illos proferre licet, cum asserimus Phyllidis vel Massiliæ nomine Carmosinam dilectam et Tomassam a Santo Mango Sannazarii matrem designari, sicut mendaci cognomine Synceri et Caritei vel Summontis et Melissei, Actius Sannazarius ipse, illiusque amici Barcinio, Summonzio et Pontanus vix teguntur. Consilium autem, cui in carmine edisserendo paruerit, nobis, Sannazarius ipse his verbis interpretatur aperte : « potrò ben io... agli ascoltanti alberi, ed a quei pochi pastori, che vi saranno, raccontare le rozze Egloghe da naturale vena uscite; cosi di ornamento ignude esprimendole, come sotto le dilettevoli ombre, al mormorio de liquidissimi fonti, da pastori d'Arcadia le udi cantare, alle quali non una volta, ma mille i montani Iddii da dolcezza vinti prestarono intente orecchie, e le tenere Ninfe, dimenticate di perseguire i vaghi animali, lasciarono le faretre e gli archi a piè de gli alti pini di Menalo e di Liceo. Onde io, se licito mi fosse, piu me terrei a gloria di porre la mia bocca ala umile fistula di Coridone, datagli per adietro da Dometa in caro dono, che alla sonora tibia di Pallade, per la quale il male insuperbito Satiro provocò Apollo alli suoi danni. Che certo egli è migliore il poco terreno ben coltivare che 'l molto lasciare per mal governo miseramente imboschire (1). »

4. — Qua de causa carmen ejus « Arcadia » inscribatur.

Qua de causa, silvestria carmina *Arcadia* inscribantur, non est amplius ambigendi locus. Etenim, unus e multis qui, San-

1. *Arcadia*, p. 1. Ex. Ed. da Lovico Dolce, 1562.

nazariani operis commentarios ediderunt, de illa nos certiores facit, cum præsertim dicat : « Sannazaro intitulò il suo libro l'Arcadia, perciocché questa regione, posta nel Peloponneso, è molto dilettevole, e piena di montagne, e di bellissimi prati, e di acque abbondevole... Dice Polibio che gli uomini del paese s'esercitavano nella musica, e cantavano Inni agli Eroi : ma che, avendo poi Filosseno e Timoteo insegnato loro le discipline, facevano i giuochi co' canti, e coi cori al padre Libero, non per cagion di morbidezza, ma per addolcir l'asprezza delle fatiche loro ; essendo essi avezzi alla vita pastorale e rustica. Per questa cagione il Sannazaro, affettando un bel titolo secondo l'uso degli scrittori, e vedendo il soggetto del suo libro conforme all' usanza di quella Provincia, chiamò il suo libro l'*Arcadia* (1). »

Antiquitatis enim cultor eximius, Sannazarius, non poterat, cum præsertim amore consumeretur, animo non colligere quæ apud Vergilium et Theocritum cecinerant pastores (2). Eodem quidem numine quo multi inter istos premebantur, ille ipse vulneratus, Galli Daphnidisque querelarum memor ut a mœrore recrearetur Arcades cantus adhibuit. Et non illud est a nobis merum commentum, ait enim :

Tunc ego pastorum numero, sylvestria primum
 Tentavi calamis sibila disparibus.
Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
 Innumeros pavi lata per arva greges.
Androgeumque Opicumque, et rustica sacra secutus,
 Commovi lacrimis mox pia saxa meis,
Dum tumulum charæ, dum festinata parentis
 Fata cano, gemitus dum Melissee tuos.
Ac tacitas per operta via rimatus, et antra
 Inspecto, et variis flumina nata locis (3).

« Soli cantare periti Arcades » uno fere excepto Vergilio, non

1. Sansovino. Ed. Cominiana dell' opere volgari di J. Sannazaro.

2. Nos non fugit, in eximio opere quod maxima cum cura, de Arcadià scripsit Scherillo (*Arcadia di J. Sannazaro* secondo i manoscritti e le prime stampe con note ed introd. di M. Scherillo, Torino 1888) amorem Synceri ludibrio fuisse deditum. Imo non dubitavit doctus, imitationis cujusdam pessimæ inurere notam Sannazarii Arcadiæ, quam vocavit : « lavoro perfetto d'intarzio senza ispirazione. » Magis autem nobis arridet a doctore B. Croce nuperrime in relatione quadam effátum (*Relazione pel concorso al premio Tenore, letta all' accademia Pontaniana*, 18 nov. 1894), quo quidem magnum asserit se accepisse gaudium, eo quod Crispii autoritas multorum injuriis vindicata fuerit. Cf. p. 4.

3. *Eleg.*. III, 2.

magni fuerunt pretii apud antiquitatis scriptores, nec etiam pluris valuit Peloponnesia regio quam « Arcadiam » vocaverant. Etenim, non illa erat quam nobis fingimus ex poetarum conceptibus ; horrida vero in septentriones Achaiam, in occidentem Eliadem, in meridiem Messeniam in orientem vero Laconiam spectabat. Panos templum in acclivitate Menali positum causa fuit cur sibi famam compararet, cujus haud immemor Vergilius, « Deum Arcadiæ » ad compescendos moderandosque Galli sui luctus vocat (1).

Sannazarii vero opere, famam optimam meruit Arcadia, si quidem, ut nunc est, de illa loqui, idem valeat ac regionis cujusdam amœnissimæ, pacis et innocentiæ sedis æternæ meminisse. Quibus autem negotiis implicatus ibidem vacaret pastorum animus, Sannazarianis verbis vera nobis effigies fingitur ; etsi illa commenticia est omnino, nulla ne excogitari quidem potest ornatior. « In questo luogo sogliono sovente i pastori con li loro greggi da gli vicini monti convenire, e quivi in diverse e non leggiere pruove esercitarsi : siccome in lanciare il grave palo, in trarre con gli archi al bersaglio, ed in addestrarsi ne' lievi salti, e nelle forti lotte, piene di rusticane insidie, e'l pù delle volte in cantare, ed in sonare le Sampogne a pruova l'un dell' altro, non senza pregio e lode del vincitore (2). »

5. — Descriptiones tantum nec morum adjumenta in illa inveniuntur.

Nihil tamen ageret, qui Sannazariana opera legendo, fabulam quamdam quæreret, ut perbelle a D. Teverret nostro notatur (3). Descriptiones quidem tantum inveniet, amœnosque ruris prospectus aspiciet : nequicquam etiam sudaret si, vellet ex eis aliquid sumere quo mores suos regeret aut ad vitam instruendam uteretur. Non in majus extollendus est J. Sannazarius nec elatius inflatiusque modo quam res gesta est, fama quadam amplificandus. Tamen pastorum amores dicere, illorum ludos varios narrare, locorum amœnitatem effingere, atque illud omni verborum ornatu et oratione lenitate quadam æquabiliter profluente, ingenium quoddam efficiunt non angustiis quidem coercitum Sanna-

1. Cf. *Egl.*, X.
2. *Arcadia*, prosa 1ª.
3. Cf. de Treverret, *L'Italie au* XVIe *siècle*. 1877.

zarioque proprium (1). Modus vero cum sit servandus, nec omnia possimus omnes, ex aliquo non plus æquo exquirendum est.

6. — Qua de causa « Pastoralia » magni fecerint homines.

Nihilominus, apud illos qui tunc temporis vivebant nec ingenio aut scientia expertes, *Arcadiæ* laudes prædicabantur undique, nec mirandum quo pacto illud evenerit.

Non defuere inter eos qui summo studio in litteris versabantur, quibus non ignobile visum est rationes investigare cur, semper et ubique terrarum ab « pastorum carminibus » delectationem quamdam repetere, æquum esse arbitratum sit. Cum mihi in prospectu non sit, omnia illorum momenta singillatim perpendere unum aut alterum a Saint Mare Girardin (2) vel D. J. Girard (3) depromptum, qua possim industria evolvam.

Ne unum quidem, dummodo litteras vel primoribus labris gustaverit, Horatii carmen fugit, quo fenerator Alfius beatum illum existimat.

..... qui procul negotiis
  Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis
  Solutus omni fœnore,
..... aut adulta vitium propagine
  Altas maritat populos
Aut in reducta valle mugientium
  Prospectat errantes greges,
Inutiles ve falce ramos amputans
  Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris (4).

1. Nullibi melius inveniri potest quid sit Arcadia quam in jam laudatâ epistola B. Croce, qua vir doctus, unam exponit sententiam ex opere coronato excerptam : « L'Arcadia è un componimento che, formato di prose e versi, pur risentendo grandemente dell' influsso classico e boccaccesco, ha, nell' insieme, un' aria di originalitá, d' ingenuita e di *rêverie*, che attrae, ed è, in ogni modo, il primo romanzo pastorale della letteratura moderna. Il quale, oltre al valore artistico, ha un valore autobiographico, malamente trascurato sinora. » (*Op. cit.*, p. 7). Ex istis mens operitur cujus ductu E. Percopo, Pontanianis Academicis opus, *Vita di J. Sannazaro* inscriptum, coronandum proposuerit. Illud quidem maximo honore acceptum, typis vero non adhuc mandatum, avidissime expectamus.

2. *Cours de litt. dramatiques*, III, passim. Saint Marc Girardin.

3. *Etudes sur la poésie grecque*, J. Girard, Paris, 1884.

4. Hor., *Epod.*, II.

Etenim, nihil antiquius est, quam ut desiderio flagremus earum rerum quibus orbati sumus, ita ut.

..... nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors objecerit, illa
Contentus vivat (1).

Adde quod, plus minus, amore et otio sollicitantur omnes, quæ quidem, haud dubio gradu per loca pastorum deserta progrediuntur.

Ideo, quadam animi mobilitate, ruris amœnitates appetimus, dum in urbe commoramur, magnoque nobis est gaudio pastorum mores a longe conspicere et illos innocentia conspicuos mirari. Multa etiam habemus depingendi ruris invitamenta, quæ modo elegantiori, Porticelli quidam nomine, percensuit; ideoque dum verba ab illo mutuor, mihi ignoscatur. « Le descrizioni della campagna riescono sempre dilettevoli e lusinghiere. Piacciono a quelli ancora, à quali non piace la realità della campagna. La natura di quando in quando esercita i suoi diritti anche sui cuori più svogliati e corrotti. Tali rapprezentationi risvegliano in noi quella originaria dolcissima propenzione verso i tempi della innocenza sopità bensi in molti cuori dal fattizi piaceri, ma non mai del tutto estinta. Noi veggiam sempre con verace soavita dipinte al vivo le bellezze della natura, la semplicità de' costumi campestri il riposo dell' anima.

« E sembrato à poeti, che tutti gli accennati vantaggi si potessero accogliere nella vita pastorale. L'economia degli armenti importa un esercizio mite, discreto e lontano dall' asperita e della eccessiva fatica, che offre un' immagine disgustosa. Mentre pascono le pecorelle possono i pastori custodi contemplare i fiori, l'erbe, i ruscelli, le piante, i zefiri ec., ed avvertire in se stessi il piacere, che destano loco vel cuore tanti oggetti di beltà semplice. E poi naturale, ch' essi partecipino della mansuetudine del gregge, che di continuo è presente ai lori occhi, ed ai loro pensieri. Non conoscono quindi le passioni raffinate, e laceratrici della societa. Le passioni si riducono in essi all' amore, e alle gare per superarsi ne' giuochi, o ne' canti, o ne' suoni. Tali furono gli argomenti degl' Idili di Teocrito e dell' Egloghe di Vergilio, e tali pur quelli dell' Arcadia del Sannazaro (2). »

1. *Sat.*, I, 1.
2. Edit. Corniana Arcad. Sannazari, 1806, Milano.

7. — Antiquitatis æmulatores, Græciæ Romæque laudibus pares facit Syncerus.

Arcadiam autem, non iis solum rationibus quas notavimus probaverunt omnes, suisque magnis laudibus extulere, aliud enim in illa invenerunt quo summo perfunderentur gaudio. Etenim, qui tunc vivebant litterarum studiosi, veterum amore pellecti, omne quod egregie dictum urbanitatis floribus ornatum vel attice scriptum erat, maximo prosequebantur honore, punctumque tulerat facile, qui orationis quodam genere lucido, Græco aut Romano fonte cadente, ingenium demulceret. Ideo Sannazarius cum Theocriti et Vergilii argumenta, vernaculo sermone repræsentaret eximio, atque innocentiæ quadam morum et amoris lusibus non quidem feris et truculentis sed humanitatis sale conspersis animos delectaret, omnium clamores excitavit, facilemque populum habuit. Pastoralium carminum et « Mœnaliorum versuum » laudes, non Græcia solum nec Romana vetus civitas, in posterum sibi adscribere poterant ; unus erat Sannazarius qui illis Neapolim parem faceret. Apud illum, cuncta quibus delectabantur cum veteres scriptores perlegerent, facilius, uberiusque forsitan reperienda esse videbantur.

Imo, litterarum indocti et quos impedimenta vitæ premebant, musarum Græcarum exsortes antea, illarum aditu nullo modo postea arcendi erant : in promptu enim Sannazarii scrinia erant, quæ veterum flores eximios redolentia, jus novum, resque nuperrime gestas, magna sententiarum copia orationisque ubertate expressa, quibus gloriabantur antiquitatis sectatores, exuviis etiam Vergilii referta, majorum gloriæ jam novi respondebant. Ideo, ex una parte, alii magnopere *Arcadiæ* favebant, eo quod sermone vernaculo exarata esset, nec amplius operosis indigerent studiis ; allii contra in omni litterarum genere versati et quibus græci vel latini sermonis nullo modo operosa erat interpretatio, *Arcadiam* magno honore prosecuti sunt, nedum eam despectui habuerint ; illius enim dono et translatione quadam, Sannazarii pastores, Theocriti bibulcos Vergiliique caprarios vel superabant aut, apud viros doctos saltem, pretio pares reddebant. Cunctis ergo valde probata, in maxima dignatione erant Sannazariana carmina, cum ne uni quidem ab illis fastidium allatum iri videretur.

8. — Quanam ratione adstricti pastores canerent.

Sannazariani pastores, ut « bucolicorum poematum » ratio atque ordo postulat, ad laudem sibi cantu comparandam, vel ex sorte vel ex pacto et conventu constituti erant, versusque lyrico modo incipiebant. Unus autem, cum enarrationem, quamcumque voluisset, incœpisset, alter versibus eodem numero et modificatione simili prosequebatur; adstrictus vero rerum genere, ut contrariis contraria opponeret vel paria paribus referret dum per ordinem canebat, omnino necesse videbatur. Lites non componebantur nisi ab illo quem judicem elegerant, cui quidem negotium pertinebat præmium tribuendi et victorem laudibus celebrandi. Res illa magni laboris erat, sed operæ plurimum in eo ponebatur quod unus alterum confundere nitendo, minime ei licitum esset, vel animum remittere vel ullam moram facere, haudquaquam enim in excogitando tardus, sed sphæristarum modo, cum postulabat necessitas, ut rei curam in alium transferret, cogebatur. Ideo, non incomposite de omni re decertabant pastores indiscriminatim, disciplina vero addicti, cum maximis conatibus proutque sese dederit occasio, ad metam tendebant. Plerumque unus e pastoribus alterum ad cantum vocabat, ille autem lacessitus, fidibus pulsatis, sine mosa incipiebat.

Voi cantare meco?
Io canterò con patto
Di risponder' a quel, che dir ti sento (1).

9. — Cur oratione soluta aut numeris inclusa usus fuerit.

Quanam vero ratione, dum Theocrites et Vergilius in Eclogiis suis, verbis numero compositis solummodo uterentur, Sannazarius tum sermonem solutum tum lyrico modo constrictum adhibuerit, a D. F. Torraca in opere paucis jam ab annis exarato, omnino diligentius aperitur (2). Illum ergo audiamus : « La forma esterna dell *Arcadia* poté essergli consigliata, ma non piu che consigliata se non m'inganno, dall' *Ameto* del Boccaccio : quel che nell' *Ameto* era un semplice episodio, starei per dire una parentesi, divenne, sotto la sua penna, tutto un libro... Ciò

1. *Egl.*, 2.
2. Cf. F. Torraca, *La materia dell' Arcadia.*

che il Boccaccio aveva fatto senza pensarci, divenne per il Sannazaro metodo e regola constante...; mentre nel primo la prosa serve appena d'introduzione ai versi, nella seconda diventa ampia pittura delle occupazioni de' pastori, racconto delle avventure di parecchi di essi, e i versi, in verità, rimangono parte accessoria (1). »

Non defuere, quibus sermonis soluti ratio et verborum numero compositorum in eodem poemate, tædio fuerit. Quidam etiam, Quadrio nomine (2) non dubitavit notam huic rationi inurere, quam quidem vocavit : « Dissomiglianza e contrarieta di parti difforme. » Non est tamen cur illi annuamus. Sannazarius enim, sermone soluto aut adstricto numero cum maxima industria utitur (3), nec ab eo.

Purpureus late qui splendeat unus et alter
Adsuitur pannus (4),

eodem vero orationis flumine æquabiliter fluente et ratione eximia qua inter se sententiæ excipiuntur, genus dicendi invenit quod quidem puram redolet antiquitatem, nedum fastidium afferat semperque apud viros doctos magni pretii erit. In *Arcadia* enim, « le descrizioni, e le narrazioni sono tutte distese in prosa, e non vi s'introducono i versi, se non quando le circonstanze portano naturalmente i pastori a divenire poeti (5). »

10. — De Imitationibus apud Sannazarium.

Peritus quidam et eximius Italiæ litterarum doctus, quem jam attulimus, S. Torraca, de his quæ in *Arcadia* continentur

1. Haud inconsulte, nec Boccacii imitatione tantum ductus, cum oratione soluta tum numerorum modis adstricta usus est Sannazarius. Ita vero se gessit, non solum ad delectationem lectoris, potius autem ut novitate quadam mentem suam leniret nostramque gaudio perfunderet. Quod quidem optime a F. Torraca (*J. Sannazaro*, 1879) notatur : « Non è frutto del caso, inquit; Jacopo non si proponeva solo di comporre delle Egloghe; se ne erano scritte innumerevoli, se ne scrivano ogni giorno, eterna ripetizione degli stessi motivi. Le Prose erano insieme un uscir del cammino battuto da tanti, e, piu, l'illusione, l'obblio cercato da lui », p. 98.

2. Cf. Quadrio, *Storia e ragione d'ogni poesia.*

3. Treverret, *L'Italie au* XVI^e^ *siècle*, ch. 16. « Les descriptions en prose et les chants bucoliques en vers se succèdent régulièrement dans cette œuvre; mais leur valeur n'est pas égale. La prose offre ici plus de précision, de netteté, de bon goût. »

4. *Ars. Poet.*, Hor.

5. *Ed. Corniana dell' Arcadia*, Portirelli.

disserens, etsi plurimi Sannazarium habuit, non dubitavit quin scriberet : « A ogni pagina dell' Arcadia, vedremo il Sannazaro lavorare tenendo innanzi vari modelli. »

Illud vero non est cur Sannazarium vituperemus. Etenim omnes qui tunc vivebant, antiquitatis amore flagrantes, eam transferre, si possent, in animo habuere. Apud Græcos et Latinos scriptores enim invenerant, quibus animus disciplina simul contineretur ac liberaliter ad humanitatem informaretur. Suum cuique tribuendum est, nec is sum qui effatum illud dimittam ; non est vero cur ab aliena abstineam si præsertim unum sit ex iis quæ omnibus communia esse possunt. Omnis doctrina dicendi in rebus et verbis tribuenda est ; quæ et invenienda et collocanda sunt. Res, ni fallor, hominum quamdam rem publicam faciunt, verba autem et lucidus ordo quo ea collocamus, unius cujusque ingenii vim propriam demonstrant. Sannazario idcirco licitum fuit res undique collectas ordine proprio collocare, etsi, ut de Ronsardio nostro Bolæus asserit, sermone græco et latino linguam vernaculam musa ejus, adspersit. Non est furto insimulandus, dummodo ingenii quadam vi propria sicut corpus nervorum compagine, cuncta in carmine ejus moveantur. Quod quidem ab illo factum fuisse, testem incorruptum atque integrum, jam Torraca laudatum habemus. Dixit enim : « Il Sannazaro non fu imitatore volgare ; scelse, adattò, mutò, combinò, tenendo sempre alla mente il disegno del libro, il fine che s'era proposto... il desegno dell' *Arcadia* è tutto suo (1). »

Arcadiæ argumentum, non solum Sannazario proprium est, quamdam etiam idoneam habet disciplinam quam sæpissime recentiores aggrediuntur, et ab illa præsertim a veteribus dignoscuntur. Illam, certis verbis breviterque contractis, bona venia, a Torraca eodem descriptam, sumere liceat. « Questa è la granda novità. L'analisi pricologica, che non si manifesta solo a lampi, a intervalli, e diventa essa la base del lavaro d'arte : è cosa tutta moderna. Il Sannazaro, fu uno de primi a servirsene (2) ».

In iis nunc liceat singulis consistere, quæ Sannazario transtulit et « contaminavit » cum e pastore Siculo, tum e Vergilio, Ovidio et aliis qui latinis litteris, haud spernendo fuerant honori. Nec tamen, ne multus videar, in rerum tenuitatem descendam,

1. *La materia dell' Arcadia*, XI, Torraca.
2. *La materia dell' Arcadia*, II, Torraca.

ea tantum percurram quæ, longo quodam et æquali tenore, pluribus verbis, Sannazarius disseruit.

11. — Palilia describuntur.

Ut sit a Jove principium, primum explanam quæ de religione pastorum in *Arcadia* inveniuntur. Quadam die, solemne sacrum Palis advenerat; tunc antiquorum memores, quam maximo apparatu « Palilia » celebravere pastores, et undique, fusis sumptibus, amplissima comparavere, quæ memorat Sannazarius. Eum idcirco auctorem adhibere, ne unus quidem nobis crimini vertet. « Per la festa di Pales, veneranda Dea de' pastori, allo spuntar del sole, ciascuno parimenti levatosi comminciò adornare la sua mandra di rami verdissimi di querce e di corbezzoli, ponendo in su la porta una lunga corona di frondi e di fiori di ginestre, e d'altri, e poi con fumo di puro solfo andò divottamente attorniando i saturi greggi (1). »

Nihil nisi rusticum et pro consuetudine pastorum in his verbis pingitur; urbanis quidem, e moribus istis sibi ab initio ignotis, hilarem quemdam animum sumere haud ingratum erat, non ii tamen erant qui verborum lenitate non maxima afficerentur lætitia. Piaculum et preces quæ Syncerus enarrat eodem ornato dicendi genere, et nescio quid etiam dulcius lepidiusque præ se ferentia, ex eodem, si licet, depromam : « Nel tempis della Dea un sacerdote, con le proprie mani uccise una bianca agna, e le interiori di quella divotamente per vittima offerse nei sacrati fochi con odoriferi incensi, e rami di casti olivi, e di teda, e di crepitanti lauri, insieme con erba Sabina, e poi spargendo un vaso di tepido latte, inginocchiato, e con le mani distesse verso l'Oriente cosi comminciò : — O reverenda Dea, la cui maravigliosa potenzia piu volte nei nostri bisogni si è dimostrata, porgi pietose orecchie a i preghi divotissimi della circonstante turba, la quale ti chiede umilmente perdono del suo fallo, se non sapendo avesse seduto, o pasciuto sotto albero alcuno che fosse sacrato; o se entrando per le inviolabili boschi avesse con la sua venuta turbate le sante Driade, e i semicapri Dii dai folazzi loro; e se per necessità di erbe avesse con l'importuna folce spogliate le sacre selve de' rami ombrosi per sovvenire alle famulenti pecorelle, ovvero se quelle per ignoranza avessero violate le erbe de'

1. *Arcadia*, prosa III.

quieti sepolcri, o turbati con li piedi i vivi fonti, corrompendo delle acque la solita chiarezza. Tu, Dea pietosissima, appaga per loro le Deità offese, dilungando sempre morbi ed infirmità da i semplici greggi e da i maestri di quelli; ne consentire che gli occhi nostri non degni veggiano mai per le selve le vendicatrici Ninfe, nè la ignuda Diana bagnarse per le fredde acque, ne di mezzo giorno il silvestre Fauno quando da caccia tornando stanco, irato sotto ardente sole trascorre per li lati campi... »

12. — De Olympi veteris usu.

Veteris Olympi numina, summâ cordis reverentia in *Arcadia* observantur, illud vero non est Sannazario criminis argumento vertendum, omnibus enim, qui hac tempestate, litterarum studiis versabantur, mos ille erat assiduus. Christi quidem doctrinarum assectatores, veterum carminibus quasi insolenter læti, non potuerant ab iis dicendi genus eximium orationisque lumina assumere, illis doctrinis et sententiis spretis, quæ jamdudum obsoleta erant. Novi rationibus genereque fidei, Christum adorabant, ingenio tamen et mente veteres, priscorumque gressibus quasi inhærentes atque commentis illorum imbuti, omnia salva esse cupiebant quæ, oblivioni perpetuæ danda essent, Quanam ratione antinomia illa viguerit non mihi est quærere, illius vero non possum quin me vehementer pigeat. Ne tamen injuriæ insimuler, aliquid mutatum, animo liberti, animadvertam.

Etenim a recentibus non ita numina antiqua ducuntur, ut plurimum in negotiis nostris valeant, vix quidem minimi aut nullius momenti instar, in illis obtinent. Precibus solummodo rogantur, nec eis, Homeri et Vergilii divorum modo, licet amplius auxilio mortalibus succurrere vel cum istis præliorum fortunam tentare. Carminibus ideo ornamento sunt, nequaquam animo fidei. Verumtamen dato hoc, Sannazarius, ni fallor, plus æquo Olympi numinibus usus est. Uni tamen vitio vertere quod in plurimorum vel omnium consuetudinem inciderat, injurium foret. Disceptatione ergo prætermissa, ad propositum meum redeam necesse est.

13. — De inventione in Paliliis.

Non operæ pretium reputo ut memoriæ prodam eximium illud dicendi genus quo Sannazarius in Paliliis narrandis utitur,

cum ne unus quidem sit qui non illud aperte videat ; non eadem vero fuit inveniendi copia præditus. Etenim, apud Ovidium non equidem ad verbum, sed omnia quæ locutus est Syncerus, quantum saltem intellego, magnifice dicuntur. Palilia enim in « Fastis » describendo, festorum dierum rationem his verbis commendat (1) :

Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra :
Unda prius spargat, virgaque verrat humum
Frondibus et fixis decorentur ovila ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant viro de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.
Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.....
Adde dapes mulctramque suas, dapibusque resectis
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, dic, pecori pariter pecorisque magistris :
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Sive sacro pavi, sedive sub arbore sacra,
Pabulaque e bustis inscia carpsit ovis :
Si nemus intravi vetitum, nostrisve fugatæ
Sunt oculis nymphæ, semicaperve deus :
Si mea falx ramo lucrum spoliavit opaco,
Unde data est ægræ fiscina frondis ovi :
Da veniam culpæ.....
Tu dea, pro nobis fontes fontanaque placa
Numina, tu sparsos per nemus omne deos.....

14. — De artibus magicis apud veteres.

Non is erat Sannazarius, omnino antiquarum disciplinarum edoctus qui, magica sacra oblivioni daret. Omnes enim in conspectu habent quæ de istis artibus et Theocrites (2) et Vergilius (3) et Ovidius (4) scripsere. Imo ut perbelle a Saint Marc Girardin (5) notatur, semper Veneris faces a magicis auxiliis lucem quamdam mutuantur. Medea, Jasonem amicum, non amoris tantum illecebris sed incantationum arte, vincire sollicita (6)

1. *Fast.*, IV, 735 et 199.
2. *Idyll.*, II.
3. *Ecgl.*, VIII.
4. *Fast.*, passim. *Metam.*, I, VII et alia...
5. *Cours de Litt. dram.*, III, 48.
6. *Metam.*, VII.

postquam aureum spolium illi dedit, omnibus magicis artibus utitur, ut Creusam æmulam opprimat, nec sceleribus abstinens, libitinam simul amoremque sanguineis vinculis constringit. Non adeo ferox, quam Theocrites memorat, Cymeta ; carmina etiam emittit, avemque sacram precatur ut amicum suum reducere velit :

Ἴϋγξ, ἕλκε τῦ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα (1)

tunc cærimoniarum memor, rite, lauri baccas in focum ardentem postea dejicit, sacrum hordeum urit, et venena libatione trina profundit, semel atque iterum quam obsecrationem adjecimus vociferans.

Horatius ipse, Canidiam venificam exhibet, quæ (2)

..... brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas Iolcos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis
Flammis aduri Colchicis.

Non istis contenta, impuberem puerum quemdam, longa morte omnibusque tormentis cruciatum necat, ut illius possit :

Exsucta uti medulla, et aridum jecur
Amoris esset poculum.

Vergilii norunt etiam omnes Eclogam VIII qua Alphæsibeus pastor, Daphnim ingratum, omnisque amoris curæ immemorem, carminibus vocat :

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Magica sacra fuse latiusque explicat illorumque felices eventus commemorat. Si quidem :

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam,
Carminibus Circe socio mutavit Ulyxi,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis (3).

1. Cf. *Idyll.*, II, Φαρμακεύτριαι.
2. *Epod.*, V, passim.
3. *Ecl.*, VIII.

Clonicus in *Arcadia* « con fronte esangue e pallida, malinconico, con chiume irsute, e con la barba squalida (1) », pastoris cujusdam amore vecors, Eugenium consortem nactus, in illum, omne quod ei ægre erat evomit. Frustra, ad compescendos moderandosque luctus, Eugenius, amorum inanitatem explicat, frustra conatur eum certiorem facere de mutatione rerum humanarum, illumque docet quod :

Nell' onde solca, e nell' arene semina,
E'l vago vento spera in rete accogliere
Chi sue speranze fonda in cor di femina (2),

Amore cæco flagrans, Clonicus, gravissima amici argumenta, cum non flocci faciat, unum ardet, auxilio quodam magico uti, quod quidem amoris extincti cineres refoveat. Non vero ille ipse est qui, carmina adhibere possit, aliquem ideo rituum magicorum doctum adducendum, illi necesse videtur. Animorum habitu mutato, ac Clonici inscientiæ beneficio, ut optime, meo quidem judicio, ab Torraca notatur « il Sannazario ha modo di riferirci i discorsi di Clonico e di Opico, la preghiera del primo al sacerdote e la riposta di questo (3) ».

15. — De artibus magicis apud Sannazarium.

Saga vetula quædam in propinquis locis aderat. Sidera, excantata voce, lunamque cœlo deripere, vocibus iisdem nebulas nimbosque late cœlo sereno adspergere, vitam jam in rogum impositis iterare, minoris illi molimenti erat ; cuncta denique, ut uno verbo dicam, quæ olim Medea patraverat, Sannazarianæ sagæ fas esse videbantur, quæ quidem non inconsulte dicere potuisset :

..... cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos, concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaque induco, ventos abigoque vocoque,
Vipereas rumpo verbis et carmine fauces (4).....

Sacerdos autem, quem Enaretum vocabant, in carminibus, illa etiam doctior erat, eum idcirco pastores ambo adeunt. Opi-

1. *Arc. Ecl.*, 8.
2. *Ecl.*, 8. — « Varium et mutabile semper Femina. *Œnei.*, IV, 569.
3. *La materia dell' Arcadia* di Sann., § 7.
4. *Metam.*, VII.

cus, in ipso itinere, flumine quodam orationis largo, omnia quæ magicis artibus patraverat Enaretus, narrat. Profecto, illi aures lambendo, draco immanis quidam, sermonis avium dederat intellectum ; herbæ cujusdam conjectu, quæ denominatione privatim assignata carebat, quam vero invenerat ipse, amnes atque stagna siccabantur, ejusdem tactu, clausa omnia aperiebantur.

Ne tædio sim, silentio prætcribo ritus omnes magicos quos, libenti animo ne prolixo dicam, singillatim Opicus exsequitur. Illos equidem, eodem fere numero, ita ut a Sannazario translatos ad verbum crederes, facile apud Plinium (1) invenies. Nonnulla etiam, ni fallor, a Vergilio et Nasone depromuntur, inter ea quæ facienda Enaretus prædicat.

Ista vero, facile, puerilia dicam, nisi memor essem nostris etiam temporibus, multos inveniri quibus artes magicœ ; ad amorem fovendum, non derisui habendæ esse videntur (2). Pastores Sannazariani equidem illis fidem omnino tribuebant, iis semper usi sunt qui pastoralia carmina cecinere, non ideo gravissimis verbis, inclementius, in Syncerum invehar, cum nobis Enaretum sacerdotem exhibet, talia fantem : « Fra queste cose, siccomè io t'insegnerò, legherai una immagine di cera in tre nodi, con tre lacci di tre colori, a tre volte con quella in mano attorniando lo altare, altrettante le pungerai il cuore con la punta di omicida spada, tacitamente dicendo queste parole :

Colei pungo ed astringo
Colei nel mio cor dipingo, etc..... (3)

Imo, ut Treverret nostrum, auctorem adhibeam, « cette peinture des superstitions rurales, si elle manquait à l'*Arcadie* de Sannazar, y laisserait une lacune immense. L'Arcadie n'aurait pas le moindre air de vraisemblance, si elle ne possédait ses sorciers et sa magie (4) ». Mediævi quidem viri, quos hariolorum nomine, in rogum, damnatos imponebant, non aliter agebant eamdemque agendi rationem servabant, fide quadam vel potius superstitione, dicam, anili, obligati.

1. *Hist. nat.*, l. X.
2. Cf. *L'Italie au* XVI^e^ *siècle*, § XV, de Treverret.
3. *Arc.*, prosa 10.
4. *Op. cit.*, I, XV.

16. — Theocriti ac Vergilii laudatio.

Pastoribus Panos lucum transeuntibus, fistula quædam, disparibus calamis ceræ compagine inter se junctis, in arbore, quæ specui sacro imminebat, suspensa, mox spectaculo fuit. Quid hoc rei esset, anxio animo quærentibus, perbenigne sacerdos respondit illam esse qua deus ipse, desiderio amissæ Siringæ vehementer afflictus, animi curam levaret canendo. Tunc, temporis opportunitate non prætermissa, Enaretus, illos magnis ornat laudibus qui, artis hæredes, pastorum aures permulcendo, a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducere. Theocritem ideo, Vergiliumque pari œmulatione laudeque simili dignos, quam maxime commendat, verbis autem nimis fusis quam ut illa ex scripto recitare possim (1).

17. — Ruris quædam descriptio.

Ni tamen in tædium nobis vertenda essent quæ a Sannazario usurpamus, optarem quemdam ruris aspectum ab illo depictum, chartis meis exprimere, hunc enim magnopere Treverret noster miratur, qui quidem haud cunctatus est quin diceret : « Ce n'est pas là un paysage proprement dit, c'est un ensemble d'harmonies, de senteurs, d'agréments rustiques; l'homme qui écrit de pareilles choses peut abuser légèrement des épithètes, sans qu'on l'accuse pour cela d'être un froid tourneur de périodes (2). » Bonâ ergo illius veniâ tanquam tabulam bene pictam, liceat mihi Sannazarianum verbum in lumine collocare : « Ne ponemmo insieme in letti di alti lentischi distesi a giacere, ove molti olmi, molte quercie, e molti allori sibilando con le tremule frondi, ne si moveano per sovra al capo : a i quali aggiungendosi ancora il mormorare delle roche onde — le quali fuggendo velocissime per le verdi erbe, andavano a cercare il piano — ren-

1. Cf. *Arcadia*, prosa X. — Etsi Theocriti opera, vulgo xv° sæculo exeunte cognita sunt, cum illius idyllia, e græco carmine latine expressisset Martinus Phileticus, ea fere penitus Sannazarius noverat, quod aperte e litteris a Nunziante nuperrime repertis constat. Etenim de Theocrito semel et sæpius mentio apud illas, præsertim in 39, invenitur. — De Vergili non est cur longius dicamus. Illum, jam a Dante divi cujusdam instar honoratum, omnes qui, tunc temporis, curam suam in litteris impenderunt, velut poetarum principem habuerunt, nec inter eos minimus qui « Vergilianus Christianus » dici meruerit.

2. Cf. de Treverret, *op. cit.*, I, xv.

devano insieme piacevolissimo suono ad udire. E per gli ombrosi rami le argute cicale cantando si affaticavano sotto al gran caldo; la mesta Filomena da lunge tra folti spineti si lamentava; cantavano le merole, le upupe, le calandre; piangeva la solitaria tortora per le alte ripe: le sollicite api con soave susurro volavano intorno a i fonti: ogni cosa redoliva della fertile estate; redolivano i pomi per terra sparsi, de quali tutto il suolo dinanzi à piedi, e per ogni lato ne vedevamo in abbondanza coverto: sopra a i quali i bassi alberi co i gravosi rami stavano si inchinati, che quasi vinti dal maturo peso, parea che spezzare si volessero (1). »

Jamdudum ea depinxerat Theocritus :

Πολλαὶ δ'ἄμμιν ὕπερθε κατὰ κρατὸς δονέοντο
αἴγειροι, πτελέαι τε, τὸ δ'εγγύθεν ἱερον ὕδωρ
νυμφᾶν ἔξ ἄντροιο κατειβόμενον κελάρυσδεν.
Τοι δὲ ποτὶ σκιεραῖς ὀροδαμνίσιν αἰθαλίωνες
τέττιγες λαλαγεῦντες ἔχον πόνον· ἁ δ'ὀλολυγὼν
τηλὸθεν ἐν πυκιναῖσι βάτων τρύζεσκεν ἀκάνθαις·
ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών·
πωτῶντο ξουθαὶ περὶ πίδακας ἀμφι μέλισσαι.
Πάντ' ὦσδεν θερεος μάλα πίονος, ὦσδε δ'ὀπώρας.
Ὄχναι μὲν παρὰ ποσσὶ, παρὰ πλευραῖσι δὲ μᾶλα
δαψιλέως ἁμῖν ἐκυλίνδετο (2).

Præmia merita persolvere, non quidem arbitrii mei est, etenim ut Palœmon quondam de Menalca et Damæta, libenter dicam :

Non nostrum inter vos tantas componere lites :
Et vitula tu dignus et hic (3),

uterque enim expedita et facile currente oratione utitur; Sannazariana vero translatio, documento est, quod jam pridem in laudando opere notaverat Campaux noster, « permultos Theocriti codices per Italiam, Sannazarii ætate, circumferri (4) ».

1. *Arcadia*, prosa X.
2. *Idy*. VII, ΘΑΛΥΣΙΑ.
3. *Buc. Ecgl.*, III.
4. *De Ecl. piscat. qualem a vet. adumbratum absolvere sibi prop. Sann.*. Campaux, 1859. — Cf. Scherillo, *op. cit.*, Int., VI.

18. — De Ludis.

Sannazarium, ex antiquitatis scriptoribus multum hausisse, nemini quidem deinceps ignorare licet, inter illos vero, unus est quem in primis æmulatus est, adeo ut « Vergilianus alter » dici meruerit. Istud autem quod in omni opere ejus videtur, in *Arcadia* præsertim elucet, cum ludos memorat ad laudem Massiliæ jussos. Multis enim pars illa omnino visa est e quinto Œneidis libro ad verbum fere translata; attamen, etsi plura sunt quæ insimulationem istam valde credibilem faciant, nonnulla, iisdem locis adsunt, quæ sibi proprie vindicare potest Sannazarius. Ut illa quidem illustremus, opus nostrum requirit.

Vergilius, Sannazariusque, eodem ferme modo narrationem suam incipiunt, etenim apud utrumque de filio, funebria justa matri suæ solvente agitur. Œneas et Ergastes similiter, iisdem vocibus commilitones et amicos ad solennia vocant. His dictis alloquitur pius pater Œneas :

Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divum,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra mœstasque sacravinus aras,
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum
Semper honoratum, sic di voluistis, habebo.....
Ergo agite et lætum cuncti celebremus honorem.....
Cuncti adsint meritæque exspectent præmia palmæ (1).

Quibus, Ergasti plane omnino verba consonant : « Cari pastori — sicome io stimo — non senza volontà de gli dii la fortuna a questo tempo ne ha qui guidati ; conciosiacosa chè il giorno il quale per me sarà sempre acerbo, e sempre con debite lacrime honorato, è finalmente a noi con opportuno passo venuto : e compiesi dimane lo infelice anno che con nostro commune lutto, e dolore universale di tutte le circonstanti selve, le ossa della vostra Massilia furono consecrate alla terra... Verrete qui a celebrar meco i debiti officii, e i solenni giuochi in memoria di lei... Ciascuno della sua vittoria averà da me quel dono che dalle mie facultà si puote espettare (2). »

Observantia pares, ossa pia reverenter colunt, eodemque de-

1. *Œnei.*, V, 45...
2. *Arcadia*, prosa XI.

siderio flagrantes, fata incusant quod non illis licitum fuisset sepulcri monumento demortuam donare. Unius verba referre alterius esset eadem subsequi. Trojanus vina fundit pateris, animamque vocat Anchisæ magni, nec non et socii dona ferunt, onerant aras mactantque juvencos.

Simili modo, Ergastes « fe le sante oblazioni, baciando religiosamente la sepoltura... i pastori chiamando tutti ad alta voce la divina anima, ferono similmente i loro doni, chi uno agnello, chi uno favo di melle, chi latte, chi vino, e molti vi offersero incenso con mirra ed altre erbe odorifere (1) ».

19. — Quanam ratione ludos apud Vergilium descriptos imitatus sit Sannazarius.

Ratione simili, spectaculum ludicrum editur, nec est cur longius in his immoremur, mutato quidem uniuscujusque cotidiani sermonis usu, eadem pari narrantur pura et incorrupta dicendi consuetudine. Nobis tamen liceat, quas in illis, plures species deprehunduntur edissere.

..... Æneas celeri certare sagitta
Invitat qui forte velint et præmia ponit,
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, et volucrem trajecto in fune columbam
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto (2).

Ergastes, lupum quemdam, forte, die hesterna captum, pro scopo designat, atque Clonicum his verbis adloquitur : « Prendi animoso giovane la tua fionda, et fa conoscere a gli altri che tu ancora ami Ergasto, e questo dicendo, a lui, e a gli altri mostro il legato lupo e disse... adesso con la tua fionda in quel bersaglio (3).» Hanc mutationem magni facit Treverret, toties laudatus, et verbis eximiis mentem suam aperit, nobis idcirco liceat illa referre : « Rien n'était plus facile à Sannazar que de transcrire cet épisode ; — celui du 5e Liv., — les lecteurs italiens lui en auraient su gré, et personne n'aurait dit que de tels détails convenaient peu à une églogue ; héros ou bergers peuvent également tirer au pigeon. Mais il a voulu être original et donner à ceux qui le liraient après l'*Enéide*, une répétion variée du même plaisir. Il

1. *Arcadia*, prosa XI.
2. *Œn.*, l. V, 485.
3. *Arcadia*, prosa XI.

suppose donc, au lieu d'une colombe, un loup exposé aux coups des tireurs (1). »

Præmia quibus victores donantur, mutatis quidem, ratione pugnantium mutandis, non adeo dissimilia sunt, quin apud illa multa ex Homero (2) et jam laudata Œneide, ad verbum mutuata esse videantur. Unum vero, eximium scilicet poculum a Mantagna sine æmulo expressum, nec non mirabili arte sculptile, Sannazario nostro proprium est. Non nobis invideatur, si ipsius verbis, fictam imaginem proponere ausus sim. « Molte cose, vi erano dipinte, ma tra l'altre una Ninfa ignuda, con tutti i membri bellissimi, dai piedi in fuori, che erano come quelli delle capre; la quale sovra un gonfiato otro sedendo, lattava un picciolo Satirello : e con tanta tenerezza il mirava, che parea che di amore, e di carita tutta si struggesse : e'l fanciullo nella una mammella poppava, nell' altra tenea distesa la tenera mano, e con l'occhio la si guardava, quasi temendo che tolta non gli fosse. Poco discosto da costoro si vedean due fanciulli pur nudi i quali avendosi posti due volti horribili di maschere cacciavano per le bocche di quelli le piccole mani per porre spavento a due altri che davanti loro stavano; de'quali l'uno fuggendo si volgea indietro, e per paura gridava; l'altro caduto già in terra piangeva; e non possendosi altrimenti aitare, stendeva la mano per graffiarlo (3).» Istis pulchrius, sermone soluto dicere, ni fallor, vix a diis concessum est, haudque dubio, facile principatum tenet qui, orationis elegantia verborumque ornatu pictorem æquipare potuit.

20. — Androgei laudatio funebris et pastorum saltus.

Justa solennia matri ejus soluta, non Ergastem impediunt quominus patri etiam jam ab annis immatura morte interrempto pia justaque debita reddat. Quibusdam enim e Sannazarianis carminibus interpretibus, Androgei nomine, poetæ nostri pater adumbrari visus est (4). Non defuere tamen, si Corniano assentire velim, qui in Androgeo, aliquem potius e Neapolitanis regibus expressum esse voluerunt. In illorum vero sententiam, non libenter descendam. Etenim, erga reges suos, multis in locis grati animi munera expressit Sannazarius noster, nec est cur in

1. *Op. cit.*, I, XVI.
2. *Iliad.*, XXIII.
3. *Arcadia*, prosa XI.
4. Cf. Massarengo.

Arcadia, dum vitæ suæ varias fortunas narrat, matris memor, patrem suum oblivioni det. Prorsus ideo, ut quidem ego sentio, magis arridet a Massarengo dictum his verbis expressum : « Quando cosi si voglia credere, non è fuor di ragione il sospettare, che come qui ônora la memoria della madre, cosí colla canzone cantata pur da Ergasto nell' Egloga quinta, sopra la sepoltura di Androgeo, abbia voluto onorare quella del padre (1). »

Sed hæc hactenus. Quidquid est enim, Androgei laudes parentaliaque celebrata, non ad verbum e Vergilio assumuntur, quædam enim et non spernanda quidem, velut a propriis ad junxit Sannazarius, quibus mens et ingenium suum illustrarentur.

His peractis, pastorem quemdam, jam ætate maturum, cui Opicus nomen erat, inducit Sannazarius, qui amicos suos lenibus verbis incitat ut eum ducem eligant, cum in mente habeant, diem in silva otiando consumere. Ejus enim, vel diverticula omnino nota sunt, arboresque multæ invenientur « ne i quali — inquit — io un tempo quando il sangue mi era piu caldo, con la mia falce scrissi il nome di quella, che sopra tutti li greggi amai, e credo gia che hora le lettere insieme con gli alberi siano cresciute (2). » Iisdem auxiliis, jam apud Vergilium usus erat Gallus ad suum leniendum amorem; certum est enim aiebat ille :

« teneris meos incidere amores
« Arboribus; crescent illæ, crescetis amores (3).

Tasso, nell' *Aminta*, iisdem verbis eadem expressit :

« Lo scrisse in mille piante, e con le piante
« Crebbero i versi..... »

Opico, pastores assentiunt, montemque conscendunt. Cum autem summum jugum attigerunt, pecora invenere frondibus pascentia. Non possum quin silentio verba prætermittam quibus illorum ludos et saltus exprimit Sannazarius, illa vero non ipse primus excogitaverat, in *Culice* enim inveniuntur. Idcirco, ut eadem, vario tamen idiomate dicta, conferre possim, bona venia adducam. His dictis Sannazarius enarrat : « Essendo il sole di poco alzato, ne ponemmo confusamente sovra la verde erba a sedere; ma le pecore, e le capre, chi più di pascere, che di riposarsi erano vaghe, cominciarono ad andarsi appiciando per luoghi inaccessibili ed ardui del selvatico monte, quale pascendo un

1. Ed. Corniana.
2. *Arcadia*, prosa V.
3. *Ecloga*, X.

rubo, quale un arboscello, che allora tenero spuntava dalla terra ; alcuna si alzava per prendere un ramo di salce : altra andava rodendo le tenere cime di querciuole e di ceretti ; molte bevendo per le chiare fontane si rallegravano di vedersi specchiate dentro di quelle, in maniera che, chi di lontano vedute le avesse, avrebbe di leggiero potuto credere che pendessero per le scoverte ripe (1). » — Vergilium audiamus :

Igneus æthereas jam sol penetrarat in arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugabat,
Propulit e stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit;
Lurida quæ patulos velabant gramina colles.
Jam silvis, dumisque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora : jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt ad cava rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu :
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis :
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel quæ nova nascitur alnus :
Hæc teneras fruticum sentes rimatur : at illa
Imminet in rivi præstantis imaginis undam.

Quemnam hedera ornare debeam, non plane video, Sannazarius tamen, nisi quid me fallit, primatum obtinet; nescio quid enim in sermone jucundius, in describendo lepidius in pingendo ornatius apud eum esse videtur quo, vel ab invitis, favorem et gratiam mereatur, necesse est.

Pergamus autem ad reliqua rite persolvenda.

Simul ac primum, pastores Androgei tumulum tetigere, quemdam viderunt qui, usitato more, duo libans carchesia Baccho, duo lacte novo, et sanguine sacro humi fundit, et monumentum floribus purpureis ornat, laudationem funebrem canendo (2). Ritibus legitimis iisdem paruerat Ascanius ipse, ad tumulum patris Anchisis cum iret « magna medius comitante caterva ». Menalcas, eodem modo, Daphni et Phœbo « pocula bina novo spumantia lacte (3) » pie voverat.

Cunctis rite persolutis, unus e pastoribus, supremis laudibus

1. *Arcadia*, prosa V.
2. Cf. *Œnei.*, V, 77.
3. *Ecloga*, V.

Androgei orationem habet. Non illum equidem fugiebant quæ precatæ fuerant dum flerent « extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim » carminibus enim iisdem utitur. Haud dissimiliter quidem, postquam Androgeum et Daphnim fata tulerunt, agros reliquerunt dei; pari ratione, pastoribus et Nymphis magno fuit dolori quod, infelix lolium et steriles nascerentur avenæ (1); et « pro molli viola, pro purpureo narcisso », carduus et spinis surgeret paliurus acutis.

Molestiæ, procul dubio esset, utrosque sermones conferre, Porcacchi enim recte animadvertit illos ferme ad verbum similes esse « in somma — inquit — sino al fine del parlamento di questo pastore, la maggior parte delle parole son tolte dallo stesso luogo di Vergilio (2) ». Iisdem ideo instans vestigiis, Androgei laudationem pastor prosequitur, sed Vergilianis spoliis haud contentus, multa etiam a Nemesiano profert (3). Ne multus videar, illa translata non afferam; unicuique enim licet, vel a primis tantum labris litteras delibaverit, judicare eamdem unamque esse faciem Sannazarianis et Nemesianis musis, vixque diversam, qualem decet esse sororum.

Nullius tamen culpæ sibi conscius est Sannazarius noster; qui enim hac tempestate florebant, et litteris curam impendebant, veteres duces et magistros elegerant, nec illos puduit quæ notatu digna apud Græcos vel Latinos invenerant, sermone suo vernaculo reddere. Jam nonnulla recitavi e Sannazario sumpta, bona mihi sit venia aliqua etiam referenti, quæ e multis eligi possunt in his quæ deinceps narravit Sannazarius.

21. — De occulto sub terra itinere.

Si Torraca in libro, qui nobis magno fuit subsidio, apte animadvertit, non quidem, ut asseverat Massarengo, in occulto sub terrâ itinere quod unus e pastoribus *Arcadiæ* ingressus est, omnia ab Vergilio translata fuere; non is est tamen qui negare possit, illius itineris, consilium saltem, ex Georgicorum poemate fuisse natum.

Neminem fugit iter quod Aristæus, Arethusa duce, iniit, cum fas illi fuit limina Divum tangere. Arethusæ jussis, repente discesserunt late flumina, qua juvenis gressus inferret, tunc illum

1. *Eclg.*, V.
2. Cf. Torraca, *op. cit.*, VI.
3. Cf. *Poetæ latini Minores.* Nemes. *Ecloga*, I.

Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Accepitque sinu vasto misitque sub amnem (1).

Non dissimili modo Ergastes, nympham suam sequitur, etenim ut ipse refert : « mi vedeva tutto circondato dalle acque, non altrimenti che se andando per una stretta valle mi vedesse soprastare duo erti argini o due basse montagnette (2). » Fusius Ergastes narrat quæ mirabilior visu in abditis terrarum, oculos suos perstrinxerunt; attamen perfusus horrore et venerabundus, non potuit quin motu stupefactus aquarum horrido timore consternaretur; similiter ibat Aristæus. Pari etiam dicendi genere, « omnia sub magna labentia flumina terra » munerantur, vix uno addito quo « pater Tiberinus » ab Ergaste describitur : « il trionfale Tevere il quale non come gli altri è coronato di salci o di canne, ma di verdissimi lauri, per le continue vittorie de' suoi figliuoli. »

Sannazarius autem cum e recentibus esset, quoddam mirum et singulare addidit antiquis ignotum; isti quidem naturam pingendo, perbelle omnes locorum facies traducebant, emortuos vero illos diceres, alicujus semper e frigido Fato participes, dum novi, rerum facies referentes, sæpe ac sæpius illas quodam ingenii humani lumine illustrant, et operum illorum beneficio, lacrymæ gaudiaque rerum deteguntur. In exemplum licet Ergastem proponere qui, Eurydicis casus intextos mirans, non potuit quin in pectoris sui secretum rediret, præsentiaque amori infelici quo angebatur assimilaret... Lasso et quali percosse — vedendo io questo — mi senti nell' animo, ricordandomi de passati sogni, e non so qual cosa il cuore presagiava, che benche io non volesse, trovava gli occhi bagnati di lagrime, et quanto vedeva, interpretava in sinestro senso (3) ». Incendia etiam ruptis montium verticibus effusa, Neapolitano poetæ omnino nota, illum inducunt ut Pompeii miserandam sortem recordetur « strana per certo e horrenda maniera di morte, le genti vive vedersi in un punto torre dal numero de vivi ! (4) » E pectore quod disertos facit ea verba exeunt, Sannazariumque Vergilio ipso aptius fere ad delectationem lectoris efficiunt.

1. *Georg.*, IV, 361.
2. *Arcadia*, prosa XII.
3. Id., ibid.
4. Id., ibid.

22. — Sannazario licitum fuit veteres imitari.

Paucis omissis, et curatius etiam, pro virili parte, illa disserui quæ alicujus saltem momenti, Sannazarius noster a Vergilio mutuatus est; omnibusque in oculis positum est quanam ratione uteretur, cum aliquid transferendum esse illi videretur. Non quidem ad verbum et illorum more quos « imitatores servum pecus ! » reprehendit Horatius (1), veteres transtulit, eximio vero ingenio, quæ ornamento *Arcadiæ* futura erant, elegit, et illa, quodam absoluto et perfecto dicendi genere expressit. Non omnino diversa non adeo tamen similia sunt ut, non liceat aperte secernere quæ e Vergiliana fonte profluant, quæ de Sannazariano ingenio prodeant. Attamen, ne quidam litterarum rerum exactor asper angoribus conficiatur, verbum quoddam, libenter, e Raina adjiciam, quo mos ille admodum comprobatur nedum vituperetur. « Non si andava allora in cerca d'un mondo ignoto; il sommo grado della bellezza sembrava raggiunto; sicchè quasi non pareva rimaner altro ai novi, che di tenersi stretti il più che fosse possibile agli antichi. E poi, si vedeva Vergilio aver imitato Omero, ed era Vergilio ! (2) »

Non ideo in quamdam sententiam a Scherillo prolatam (3) libenter descendam, nec cum illo dicam omnem illorum artem qui tunc vivebant, in eo reponi, ut formas sicut tabellas bene pictas in bono lumine collocarent, ad illorum instar qui, margaritas preciosas aut eximia vasa in thesauris suis recondunt, unum tantum perpensum habentes, an illa loco optimo posuerint. Melius ni fallor, verisimiliusque, quem jam adduxi antea, Torraca scripsit : Sannazarium non unum esse e multis imitatorem, sed in mente semper consilium habuisse quod exprimendum statuisset. Veteres quidem scriptores contemplabatur e quibus similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchri et veri eximia quædam, quam intuens in eâque defixus, ad illius significationem consilium et artem dirigebat. Etenim ut quemdam d'Ovidio nomine, proferam : « Il concetto dei limiti in cui sia lecito appropriarsi tacitamente il pensiero, le immagini, le parole altrui, varia un poco secondo i tempi e secondo la tempra degli scrittori e delle scuole (4). »

1. *Epist.*, lib. I, 19.
2. *Cit. apud Torracam*, op. laud., XI.
3. Scherillo, *op. cit.*, Intr., X.
4. D. Ovidio, *Discussione manzionane*, 1886.

Nunc, ad opus explendum, mihi liceat, aliqua etiam palam prodere quæ, parva dictu quidem, non adeo tamen spernenda sunt, quibus optimus ille in imitando Sannazarii modus, vel in minimis, illustrabitur.

Neminem fallit magna quæ apud Theocritem inter messores quosdam, de amore controversia exoritur. Unus quidem, Milo nomine, valde pertæsus Battum videndi ad messendum opere tardum, pigritiam ei vehementer objurgat, ille vero causam affert quod jam ab undecim diebus amore quodam ardeat (1). Milo autem, cum magnus in illo esset jocandi lepos, argutiis haud quidem facetissimi sed asperioris salis, Battum irridet simul et amicam spernit, unum tantum, laborem indefessum, amore dignum reputans.

23. — Flebiles modi apud Sannazarium.

Objurgatio ista a Sannazario inducitur; nihil autem nisi lepidum et urbanitate plenum Clonicus et Eugenius habent. Etenim, Clonicus amoris cujusdam laqueis inligatus, cupide expetit ab eis se redimere, nihilque studiosius habet quam ut, libero corde per silvas dicere tandem illi liceat :

..... Merce del ciel, dan gran periglio evasimo (2);

amore sævo saucius, optime illius sævitias noscit qui

..... docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus (3),

libertatis ideo ardenti desiderio flagrat. — Flebiles modi quidam, quos non præcinerant Theocriti fides, a Sannazarianis pastoribus concinuntur. Quos tamen elegos non invenit Jacobus noster, multoties enim, Horatio teste, jam pœtæ doluerant quæ :

Singula de nobis anni prædantur euntes (4).

Petrarcha ipse, paucis elapsis annis, scripserat :

Che piu d'un giorno è la vita mortale
Nubilo, breve, freddo e pien di noia
Che può bella parer, ma nulla vale (5).

1. *Idyl.*, X.
2. *Arcadia, Ecloga*, 8.
3. Virg., *Ecloga*, VIII.
4. Hor., *Epist.*, II, 2.
5. Cit. Ed. Corniani, Portirelli, Milan, 1806.

Eadem, iisdem fere vocibus, Sannazarius dixit :

Questa vita mortale al di somigliasi
Il qual, poi che si vede giunto al termine
Pien di scorno all' occaso rinvermigliasi (1).

Attamen, Eugenius pastor, qui talia profert, non ille est qui inani tristitia mœstus, rei familiaris curam abjiciat, sed ad laborem strenuum Clonicum vocat, illumque incitat, ut spretis vitæ tædiis, agri colendi studia amplectetur viriliter, nilque vigili cura aut venatione indefessa majus faciat; amicus etiam vellet certior fieri, omnia in manibus suis esse quibus bearentur homines, si quidem :

Tanto è miser l'uomo quant' ei si reputa (2).

Theocriti etiam memor, Clonico suadet ut curam studiis Musarum impendat, quæ, si quidquam Polyphemo credimus : « amoris, unum solamen tribuunt. »

Οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκῃ φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον, ἐμὶν δοκεῖ, οὔτ' ἐπίπαστον,
ἢ ταὶ Πιερίδες (3).

24. — De poculorum descriptione.

Non cuncta equidem indicare possumus quæ, de Vergilio aut de Theocrito, Sannazarius transtulit, istud enim, minimi quidem pretii non sine fastidii periculo esset; nobis tamen, unum adhuc proferre liceat quo invisum comparationis laborem absolvam.

In ecloga quodam, duos pastores inter se disputantes Vergilius exhibet, et pignora ab illis posita assueto eximioque dicendi genere describit; inter illa, eminent pocula

Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis;
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos (4).

Damœtas ipse, pocula similiter habet ab Alcimedonte cælata; illa deponet.

1. *Ecloga*, VIII.
2. Id., ibid.
3. Th., *Idy.*, XI.
4. Buc., *Ecloga*, III, 36.

..... molli circum est ansas amplexus acantho;
Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentes (1).

Theocritus, fusiori quodam dicendi genere, poculum descripserat, quo donatus fuerat Thyrsis, cum Daphnidis mortem, modo quidem eximio lamentaretur. Siculi pastoris descriptionem proferre liceat, etsi enim paulo longius provecta est, omnibus illis prælucet dotibus quæ, summopere dicendi genus Theocriti commendant. Caprarius ideo mercedis loco poculum tribuit : « dulci cera collutum, geminis ansulis, novum, recentem adhuc sculpturam redolens; cui super labra innectitur superne hedera, hedera helicryso compersa ; et circa illam fructu capreolus volvitur gestiens croceo. Intus vero mulier, divina quædam imago, sculpta est, ornata peplo, reticuloque : juxta vero ipsam viri pulchri capillis vicissim; hinc ille, inde alter, verbis altercantur : id vero mihil movet ipsam : verum jam hunc aspicit virum ridens, jam vero ad alterum applicat se. Illi vero præ amore diu oculis tumentes, incassum laborant.

Inter hæc piscator senex, et rupes fabrefacta est aspera, in qua festinans, magnum rete ad jactum trahit senex, valde laboranti viro similis : diceres ipsum totis membrorum viribus piscari. Nam venæ illi undique in collo tument, quamvis jam cano : robur vero illi est etiam juventa dignum. Non procul autem inde ab isto marino sene, rubris uvis pulchre gravatur vinea. Eam parvus quidam puer juxta sepes custodit sedens : quem circum duæ vulpes : altera per ordines vitium incedit, lædens uvas maturas : altera peræ insidias struens non prius se puerum relicturum affirmat, quam cum auxilii inopem in sicco collocarit. Sed ille ex culmis pulchram cicadis capiendis decipulam nectit junco concinnans : neque vero illi vel pera curæ est, vel fructus vineæ tantum, quantum opere suo, quod nectit, delectatur.

Undique vero, circa poculum circumvolat mollis acanthus, æolicum spectaculum : quod operis miraculo animum obstupefaciat (2) ».

Cum earum descriptionum neutra poetam nostrum fugeret, non potuit Sannazarius quin mediis iisdem uteretur dum Logistum et Elpinam pastores, invicem certantes, in medium profert. Ille ipse poculum depingit (3); in quo, nympham quamdam inducit

1. Buc., *Ecgl.*, III, 36.
2. *Idyl.*, I. Ex transl. a Th. Briggs facta. Cantabrigiæ, 1822.
3. *Arcadia*, prosa 4.

quæ Priapum dedignatur, omnibusque viribus suis contendit ut istius amplexus fœtidos vitare possit. Duo circumstant pueruli, quorum unus, Priapum aggreditur; imbelle autem auxilium! frustra enim Priapi, dente rabido, cruras lacerat, captivam quidem ille, nympham rapit.

Poculum a Sannazario descriptum, nescio quid lepidum, arte eximium, nativoque lepore plenum præ se fert, quod quidem, omnino, hujus temporis ingenia designat.

Non nostrum est præmia tribuere; Sannazarium ideo, cum de rebus depingendis agitur, nec Theocrito nec Vergilio anteponam; notare tantum sufficiat, eum, vel in imitando, aliquid sibi proprium genuinumque servasse, quo quidem et temporis quo vivebat ingenia, suæque in depingendo rationes optime declarantur.

25. — An Arcadiæ nomine Gallia nostra sit adumbrata.

Sed hæc hactenus. De istis enim, cum jam fusius locuti simus, nunc, cum Scherillo inquirere liceat, an *Arcadiæ* nomine, ut quibusdam visum est, Galliam nostram adumbrare voluerit Sannazarius.

In ultima « prosa » qua, fidibus suis, vale dicit poeta noster, nos ipse rationem docet, cui parens in Arcadiam venerit : « quando in Arcadia venne — inquit — non come rustico pastore, ma come coltissimo giovane, benchi sconosciuto e peregrino d'amore (1). » His verbis, Sannazariani ingenii indoles nobis omnino declaratur.

Minimi quidem esset pretii amorem enarrare quo, vix ex pueris excedens et octo annos natus, in puellam quamdam arderet, quæ quidem pulchræ speciei et ab honestis parentibus orta, non mutua face ducta, Jacobum nostrum maximo tædio abjecerit. Iter longum quod Sannazarius incepit ut istius puellæ asperas despectiones fugeret, narrare, cum magni esset incommodi, silentio prætermittam. Etenim, poetis amatoribus, mos est multa effingere, mera quidem ingenii commenta, species tantum cogitatione depictæ. Adde quod, sæpe inter homines, ut bene a Scherillo notatur, qui ardet amore, non amatur, sed in rebus fictis cum sæpius accidat, illud tragœdias movet, vel in rabiem vertitur. « Dalle Heroides di Ovidio : da romanzi greci come Dafni e Cloe, Clitofonte et Leucippe, Cherea et Calliroe; dalle storie amorose de Partenio Niceense; giù fino alla Vita Nuova di Dante e alla

1. *Arcadia. alla Sampogna.*

Vita di Dante ed ai romanzi del Boccaccio, ci è tutta una lunga serie di storie ed episodii di amore che suppergiù somigliano a questo raconto del Sannazaro (1). »

Idcirco si fidem Scherillo adhibemus, amor a poeta nostro depictus, veritate nulla, sed cogitatione tantum niteretur. Non is sum qui litem dirimere possim, cum præsertim, qui ætate nostra poetæ viguerunt, et fata quibus illorum vita premebatur et commenticia, libenter et ex industria miscuerint. Ista vero, parvi sunt momenti.

Attamen, ni fallor, nimius animi est Scherillo, cum absque ulla dubitatione, Sannazarium amorem nulla veritate fultum iri asserit, et ipsam Arcadiam speciem quamdam fuisse tantum, cogitatione fictam. « L'Arcadia del poeta — inquit — è come un isola fortunata vista colla fantasia, ed a cui egli approda battendo le ali, che ha prese in prestito dai poeti bucolici greci e romani e dai romanzieri erotici alessandrini e medievali... (2) Imo, iter a Sannazario susceptum, vix re quidem vera factum esse credit, nec per viam longam, sed ea ratione, ut ruris amœnitate mentem recrearet (3).

Non est ideo cur miremur, quod Arcadiæ nomine, neget Galliam nostram a Sannazaro adumbratam fuisse, et asseveret regionem a Polybio descriptam iterum fuisse a Syncero depictam; illudque, non ullam ob aliam causam quod Arcadiæ nomen in scriptis legitur, quæ quidem itinere Sannazarii ad Galliam citeriora sunt.

Quamvis magni sit momenti a Scherillo prolata sententia, non tamen impedit quin illam etiam adducamus quam primus, in medium profudit Crispo; quem, vulgo « anonymus » dictus, libenter assectatur.

Etenim in historia, quam de rebus a poeta nostro gestis, Crispo edidit, Arcadiæ nomine, dicitur non aliud significatum iri

1. Cf. Scherillo, *op. cit.*, Introd., III.
2. Id., ibid.
3. Melius, ni fallor, F. Torraca (*J. Sannazaro*, Napoli 1879) sic se habet : « L'Arcadia a prima giunta, si potrebbe considerar quasi come un *rêve*, nel quale non si sia perduta interamente la coscienza, si che tra le tante figure, le quali che passano innanzi al *rêveur* c'è quella di lui medesimo... il viaggo sotterraneo, il ritorno improvviso dalle montagne di Arcadia alle rive del Sebeto, sembra, a prima vista, un mezzuccio immaginato per dare al libro una conchiusione; e più d'uno avrà creduto che l'autore, infastidito del suo lavoro, stimasse utile ricorrere ad un *Deus ex machina*. Invece, è quella la fine naturale del lungo fantasticare : morta Carmosima, crolla il mondo immaginario, il quale, finchè vivera lei, poteva appagare l'amante », p. 96.

quam Gallia nostra. Adde quod, anonymus, his verbis asperis in medio adductis, quibus Sannazarius utitur cum de situ Arcadiæ horrendo loquitur (1), non potuit quin ista, explicatione quadam leniret : Illium audiamus : « L'avversione, che ebbe il Sannazaro alla Francia è degna di perdono, perchè la viaggiò in tempo di sue afflizioni, e dimorò in una delle men culte provincie di quel nobilissimo regno. Onde è che la disse Arcadia e nella prosa settima ne parlò cosi stranamente (2). »

Colangelo, in *vita del Sannazaro*, cum primum, absque ullo dubio dixisset, Arcadiæ nomine Galliam indicari, deinceps, non talia professus, verbis tantum dubiis sententiam suam profert dicendo : « che fino a che nuovi documenti non fossero venuti a luce, la sola frase — uscir da Napoli — non sarebbe bastata a significare—andar in Francia. »

In sententiam illius descendam et, libenter fatebor *Arcadiam* poema quoddam esse, eximio quidem dicendi genere exaratum, quo Syncerus noster, antiquitatis cultor, modis lyricis et epicis vicissim utens, veterum poetarum more, amorem cecinit. Ne tamen similitudine nimia lectoris animus gravaretur, ad illum oblectandum, multis eximiis descriptionibus, narravit etiam quo modo vitam suam pastores gererent, quibus ludis illam levarent, quibus deinceps, rite servandis, pietatem erga Deos probarent. Non autem regionem aliquam adeo pinxit expresse, ut eam nomine quodam proprio indicare posses.

26. — Cur Arcadiam qui tunc vivebant plausu acceperint.

Ex illo opere, major delectatio haurienda esset, si cordis sui arcana apertiore modo declaravisset Syncerus; veteres autem, ne uno quidem excepto, ea tantum quæ omnibus communia erant scriptis suis traduxerunt et silentio præterivere quæ ad vitam illorum propriam pertinebant. Illorum æmulus et vestigiis insistens, Sannazarius, eodem ferme modo,opsus suum conclusit. Attamen, aliquid novi, cum naturam depingendo, tum pastorum vitam narrando adduxit; etenim natura cum pastoribus amoris cujusdam vinculis nectitur, imo nescio quid nascitur, quo quidem

1. Cf. *Arcadia*, prosa VII. — « Solitudine di Arcadia ove, non che i giovani nelle nobili citta nutriti, ma appena mi lascia credere, che le selvatiche bestie vi possono dimorare. »

2. Cit. ap. Scherillo, Intr., XI.

auxiliante, lacrymæ et gaudia rerum mentes hominum incendunt et misericordia permovent (1).

Idcirco, haud immerito, cum *Arcadia* in vulgum prodiit, eam benevolo animo qui tunc vivebant acceperunt. Non solum iis ducti erant momentis quæ jam antea evolvi, sed cuidam parebant, quod optime, meo quidem judicio, a Scherillo expressum fuisse videtur. Illius verba producere liceat; aliquid enim præ se ferunt patriæ amore plenum, laudationeque omnino dignum. L'*Arcadia* veniva ad affermare un altro fatto, che la lingua volgare, cioè, la nuova lingua predicata con le teorie e con l'esempio da Dante, aveva attecchita anche quaggiù sul suolo napoletano, e dava già frutti squisiti... Dunque, nonostante lo straniero avido e minaccioso, gli Italiani si sentivano affratellati da un nuovo vincolo, non solo dalle tradizioni del nobile latino, ma ancora dall' unità del nuovo volgare; il nome del Petrarca era l'insegna di cotesta unità che sventolava come sul palazzo de Medici cosi sulle tori dei signori di Milano, di Ferrara, di Mantova, di Urbino e sulla reggia dei re di Napoli (2). »

27. — Boccacii cum Sannazario comparatio.

Sannazarii opus, non illud erat cui nullum antea exemplum fuerit; Boccacii enim carmen quod *Ameto* inscribitur, viam indixerat per quam « Mœnalii versus » iterum, magno favore, hominum acclamationibus proponerentur, eam secutus est poeta noster. Multa vero adjunxit quibus non usus fuerat Boccaccius. Quas enim ille eclogas dederat, fabula non nexuerat, Sannazarii vero eclogæ, non quidem arctiori nexu, quodam tamen nectuntur illudque magnæ est delectationi. Non silentio prætereundum est, nescio quid flebile, quo pastorum ludus et parentalia, iter etiam cavis sub terris quodam modo referta sunt, mensque nostra religionene perfunditur, Sannazario illud tribuendum est, Boccacius enim potius voluptatem quam religionem orationibus suis

1. In illo quem jam anteæ laudavimus, a F. Torraca edito libello (*Jacopo Sannazaro*, Napoli 1879), ratio cui parens, Arcadiam suam ediderit Sannazarius, perbelle expressa esse videtur. Opus illud non vitam propriam Synceri narraret, levamentum vero tantum esset, quo, tunc temporis augustiis mederetur : « Il libro, cominciato col desiderio di scordare la realtà, serbò solo poche tracce della malinconia dell' autore, non fu una vera autobiografia. Non potera egli, fermarsi molto a narrare i propri casi, a ritrarre lo stato dell' anima sua, se invece, si proponeva di gettarsi dietro le spale gli uni, di uscire dall' altro », p. 99.

2. Scherillo, *op. cit.*, Intr., XIII.

adspergit. Qui vero postea, suis versibus favorem quæsiverunt, summo intenderunt studio ut ea quam plurimum uterentur nedum rationem istam oblivioni dederint. T. Tassius in primis, haud parvi momenti eam reputans, semper nisus est ut animos religione et pietate perfunderet.

28. — De Sannazarii imitatoribus.

Non defuerunt etiam inter eos qui, tunc variis in Italiæ provinciis vixerunt, qui Sannazarii exemplo allecti, pastoralia carmina dederunt; non laude pari tamen, et quem secuti sunt, non nisi longo potuerunt intervallo. Cum illorum opus, vel summis labris percurrere non nostrum sit, eorum saltem nomina referre liceat.

Dum *Arcadiam* scriberet Sannazarius, Alliensi Foro, Boiardus, vernaculo sermone aut lingua latina vicissim utens, eclogas exarabat, et poema vulgo *L'Orlando innamorato* dictum, pangebat. Magno usui artes magicas habet, quarum auxilio nititur, angelorum autem ministerium ne flocci facit. Quod quidem, ejusdem vestigiis insistens Ariostes, disciplina simili arte vero majori, deinceps ipse efficiet.

Florentiæ præsertim, tunc temporis, multi viguerunt qui, pastoralia carmina, ad Sannazarii instar vulgaverunt. Inter illos, dignus dictu eminet, princeps e Mediceorum gente, Laurentius, Magnificus cognomine, qui pastorem quemdam Corintum, Galatæ amore flagrantem inducit. Multa etiam edidit carmina, quibus Ovidium et Boccacium summa cum laude imitatus est. In eadem civitate, tunc etiam Politianus florebat, litterarum græcarum studiosus qui, facili eadem vena et græcos et latinos versus scribere potuit. Fabulam Orphœi enarravit, multaque factitavit carmina quæ vulgo *Stanze* dicuntur, quibus Giulani erga Simonettam amor, eximio dicendi genere pingitur (1).

Senensi coloniæ, non possumus quin nomina saltem indicemus Fiorini et de Arsochis qui Mœnalios versus et ipsi magna cum laude conscripserunt.

Nulla aut fere quidem nulla, iis tantum operum coloribus exceptis, a Sannazario mutuati sunt, scriptores quorum mentionem habui, multi vero numerandi sunt, quibus magno fuit

1. Quædam in Appendice, omnio notatu digna indicavimus, ex Laurentii et Politiani carminibus sumpta.

auxilio Sannazarianum opus. Hos, presse quidem et angusto sermone numerare liceat.

Mox enim *Arcadiæ* fama, Italia tota discurrit. Serafinus Aquileus quidam, unus ex aulicis Ferdinandi II, qui etiam Pontani familiaritate, Neapoli, utebatur, cum diversis ob fortunæ suæ fata per multas civitates peregrinatus esset, omne suum studium contulit ut Sannazarii carmen, translatione, imitatione aut recitatione etiam in vulgum proderet. Eclogas etiam, parvo quidem numero scripsit, multas vero, sermone vernaculo e Theocrito aut Vergilio transtulit, quæ carminibus pastoralibus suis, apud doctos pluris factæ sunt (1).

Neapoli, iisdemque temporibus quibus fuit Sannazarius, vigebat J. de Jennaro, a quo multa carmina quæ dicuntur vulgo *ballate, stramboti, sonnetti* nonnullæque eclogæ edita fuere. De illo, nihil in Sannazarianis operibus scriptum fuit; non est vero cur in iis diutius immoremur, Scherillo quidem si fidem facimus, irritabile vatum genus, opinionis suæ custos etiam diligentissimus, aliquoties sibi invicem obtrectat (2). Utcumque se ea res habuit, et quamvis Jennaro ipse altum de Sannazaro servaverit silentium, impossibile est quin *Arcadiæ* fama, Neapoli præsertim vigens, nullius momenti fuerit, in eclogis quas ipse ediderit. Illudque non merum est animi commentum; etenim, si Scherillo auctorem adhibere non nobis invidetur, in eclogiis a Jennaro decantatis, « ad ogni passo, di queste si risente l'imitazione e nelle forme metriche e nel contenuto e nelle frasi e nelle imagini pastorali e nello stiracchiare per avere sdruccioli. E cotesto sforzo d'imitazione forma in verità tutto quanto il loro merito (3). » Ut asseverationem suam quodam exemplo firmaret, aliquam e Jennaro eclogis, edidit Scherillo, illamque typis mandavit in eadem *Arcadiæ* editione quam maxima cura et ardenti studio palam proposuit.

Non omnes adducam qui Sannazarianûm opus in Italia aut in aliis Europæ regionibus imitati sunt; illud enim, parvi quidem pretii non sine quodam tædio foret. J. Torraca jam laudatus, Sannazariique gloriæ custos vigilans et acer, librum quemdam condidit cui titulus inscribitur *Gl' imitatori stranieri di J. Sannazaro* (4) », in quo omnes numeravit quos Arcadiæ

1. Cf. Torraca, *Manuale del Lett. Ital.*, I, Firenze 1889.
2. Cf. Scherillo, *op. cit.*, Intr., XIII.
3. Cf. Scherillo, *op. cit.*, Intr., XIII.
4. Roma, Læscher, 1882.

versus et fabula in similia efficienda adduxerunt. Non est cur opus eximium transferam et ex alieno hortulo impudentissime sumam, cum præsertim multa jam a nostro Saint Marc Girardin (1) adducta, a Torraca dicantur; quod etiam, ni fallor, plus æquo factum fuit. Cujus enim scrinia libenter compilantur, in nulla quidem pagina nomen laudatum esse videtur.

Quidquid id est, Hispaniæ, Lusitaniæ, Britanniæ et nostræ etiam Galliæ, multi nominantur qui ab Arcadia mutuati sunt. Fortasse tamen, mea quidem sententia, in majus, imitationes istas accepit Torraca, cum illas elatius inflatiusque modo quam res gesta est, asseruerit.

Etenim, non adeo novus erat Sannazarius, quin ipse multa ab aliis sumpta imitatus sit. Nec nostros fugiebant latini aut græci scriptores, e quibus, jam dixi, copiose et abundanter hausit Sannazarius ille qui, libenter, tanquam fons et origo, omnium fere in Europæ regionibus, pastoralium carminum, a Torraca diceretur.

Istud vero, quibusdam exemplis comprobare, non supervacuum habeatur.

Aliquam eclogam ex carminibus Baïf nostri commemorat Torraca, quæ quidem his verbis exprimitur :

O bienheureux ceux-là qu'Amour conjoint
En un vouloir qui ne se change point,
Mais est constant à la mort et la vie
Et n'est rompu de soupçon ny d'envie.....
Il seme en mer et laboure l'arêne
Et tend un ret d'une entreprise vaine
Contre le vent, qui fonde son attente
Au cœur léger d'une femme inconstante (2).

Postquam carmen istud adduxit Torraca, sine cunctatione asserit, non sententias tantum sed verba ipsa ex *Arcadia* sumpta fuisse, et salibus felle suffusis utens, non potuit quin adderet : « singolare maniera di composizione! »

Attamen, ni fallor, verbisque minime pudicis, jam eadem Horatius dixerat :

Felicer ter, et amplius
Quos irrupta tenet copula nec malis

1. Cf. *Cours de litt. dramatique*, III, 45, 46, 47.
2. Cf. Torraca, *op. cit.*, p. 40.

Divulsus quærimoniis
Suprema citius solvet amor die! (1).

Catullus etiam non dissimilia istorum proposuerat dicendo :

..... sed mulier cupido quod dicit amanti
In vento et rapida scribere oportet aqua (2).

Imo, apud omnes fere veteres poetas, multa odiosa in mulieres exaggerata reperies, neminemque fugit quo nomine Euripides cognominatus fuerit. Ne multus videar, quædam tantum ex istis adducam. Sit ideo Vergilii dictum : « varium et mutabile semper femina! (3) » cui addemus e Catallo et Tibullo excerptum : « præcipue multivola est mulier (4). » — « Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!... mens est mutabilis illis (5). » Quibus etiam Propertius et Calpurnius consonant : « Nulla diu femina pondus habet (6). » — « Mobilior ventis o femina! (7) »

Non is sum tamen qui negare ausus sim *Arcadiam* auxilio fuisse poetis nostris, non autem cum Torraca, æquo animo dicam eos non nisi translatores vel plagiarios fuisse.

Sannazarius, ætatem auream depingit (8); ab eadem pictura, Clemens Marot noster non abstinuit. Neminem vero fugit a veteribus poetis, eximiisque verbis jam eamdem ætatem fuisse depictam. Non illud saltem Sannazario erat ignotum, qui Ovidium Vergiliumque apprime noverat. Illi vero non buccas inflat Torraca, nostros tantum vehementer objurgat quod eadem cecinerint quæ jam cantaverant, non unus Sannazarius, multi vero antea. Bona pace illius dixerim, non omnia uni, sed suum cuique tribuendum esse videtur. Sannazarium tamen magni faciebant qui apud nos, sæculo decimo quinto et sexto præsertim, litteris curam impenderunt, illudque negare arrogantiæ esset, cum du Bellay ipse dixerit : « Chante-moi d'une musette bien resonante et d'une fluste bien jointe ces plaisantes eclogues rustiques, à l'exemple de Théocrite et de Virgile, marines à l'exemple de Sennazar, gentil-homme Napolitain. » Imo, Doletus, quibusdam versibus, prandium depingit cui interfuerant Budæus, et Marot, et Rabelais, hæcque subjungit :

1. Od. I, 13.
2. Cat., LXX.
3. *Œneide*, IV, 569.
4. Cat., LXVIII.
5. Tib., III, 4.
6. Prop., II.
7. Cal., III, 10.
8. *Ecloga*, 6.

Hos inter multos sermo nascitur, oræ
Externæ quid docti habeant scriptoris : Erasmus
Melanchton, Bembus, Sadoletus, Vida, Jacobus
Sannazarus plena laudantur voce vicissim (1).

Inter pastoralia carmina quæ auctoritate plurimi in Italia valuere, non possumus silentio præterire quæ vulgo dicuntur *Amyntas* et *Pastor fido* a T. Tasso et Guarinio exarata. Frustra autem apud ea, pastores requires rusticanum aliquid præ se ferentes. Ingenuitate quidem omnimo deposita, cum Sylvia in *Amyntas*, tum Sylvio in *Pastor fido* sollertes et argutas sententias de amore prædicant; oratione numerose cadente, magnifice loquuntur; inconditum vero dicendi genus quo pastores quotidie utuntur, etsi inquinatum, simplex autem et in promptu positum, aliquid leporis habet, quod magnopere in eorum oratione quos Tassius et Guarinius adducunt reperire velles.

Etenim, non nisi sermones sunt alterni de crudelitate aut amoris blanditiis, quibus nonnulla assuuntur quæ quidem magno usui erant iis qui tunc rem amatoriam in scriptis suis agebant (2). Referre tantum liceat quo modo, prima vice, pastores amore saucii, congressus ad colloquia quærant. Neminem etiam fugit modus a Clitophonte adhibitus cum illius labia apicula quædam inciderit, ut vulneri a Leucippo medeatur; eodem utuntur Tassius et Guarinius, quem etiam non derisui habuerat Urfæus noster dum Eudoxeam principem ab Ursaccio sanatam memorat. Adde quod, apud poetas, clamores, jugis montium repercussi, actoris partes defendunt ut pastorem amore vulneratum spe valida erigant, vel desperatione demittant. Quod quidem, non sponte naturæ contingit sed aliquid fucatum redolet, cujus etiam nos facile tædet. Satyri insuper, qui, in *Arcadia* Sannazarii, multoties inveniuntur, ab illis qui pastoralia carmina scripserunt sæpius adducuntur; non ii sunt tamen, quos jam apud auctores veteres vidimus, sed feri et dissoluti, asperam tantum naturam præ se ferunt, aut stultitia præditi maxima deridentur.

In Gallia nostra, diu etiam pastoralia carmina floruere. Qui ea cecinerunt, non *Arcadiam* tamen secuti sunt, sed Urfæum potius imitantes, quæ ille sermone soluto dixerat, carminis modo

1. Hæc verba, libenter fateor, ab ipso Torraca mutuatus sum; etsi enim non illi plane consono, non possum quin opus illius laudem, magni quidem momenti, et cura eximia perfectum.
2. Cf. Saint Marc Girardin, *Litt. dram.*, III, 45.

includentes, in scenam protulerunt quæ in *Astrea* narrabantur. Genus illud adeo viguit, ut Cornelius noster vitare non potuerit quominus *Sylvia* a Mairet edita, cum opere eximio quod *le Cid* inscribitur, ab multis hujus ætatis compararetur. Mox vero, Racinii et Cornelii tragœdiis, e scena, pastoralia carmina repulsa fuerunt, non vero ruris locos amœnos aut pastorum opera modo pristino narraverant illa, sed amoris tantum lusus cecinerant.

Ideo, non est cur amplius in his immoremur et Segresiana dicta evolvamus. Nil quidem ex *Arcadia* ni fallor, in eis decerptum esse videtur. Poemata quæ Menagius excudit, non vitam pastoralem melius redolent. Amorem enim extollunt laudibus, pastores autem non vitam veram agunt, sed doctorum modo, inter se, de omni re disputant, de ovibus et gregibus quam minime solliciti, ornamento sunt et tantum ut aliquam speciem pulchri afferant. Imo, Fontenelle exoptat carmen sine pastoribus duci posse. « Si l'on pouvait placer ailleurs qu'à la campagne la scène de cette vie tranquille et occupée seulement par l'amour, de sorte qu'il n'y entrât ni chèvres, ni brebis, je ne crois pas que cela fut plus mal. Les chêvres et les brebis ne servent de rien. »

Carmina ista, etsi tamen more pristino adhuc pastoralia vocamus, non illa si legere potuissent, eo vocabulo nec Theocritus nec ipse Sannazarius notavissent.

29. — De modis lyricis apud Sannazarium.

Dum poema suum condebat Syncerus, multis et variis verborum numeris in eclogiis suis usus est. De illis aliquid saltem disserere liceat.

Inter eclogas, duæ quidem (III,V.) modo adstrictæ sunt quem jam vulgaverat Petrarcha et in canticis vulgo *canzoni* dictis, adhibent versuum legum ac modificationum periti. Illum schemate quodam significabimus, idest :

abC abC cdeeDfF (1).

in quo, grandes litteræ in loco endecasyllabi reponuntur, minutiores autem septenarii locantur.

1. Cf. Murari. *Ritmica e metrica razionale italiano.* Milano, 1891.

Duæ eclogæ (IV, VII.) modum præ se ferunt quo in carminibus vulgo *Sestine* vocatis, utuntur poetæ. Cujus sit schema :

1. ABCDEF.
2. FAEBDC.
3. CFDABE.
4. ECBFAD.
5. DEACFB.
6. BDFECA.

« Terzine » vulgo, vocant modum quo plurimum Sannazarius usus est, nam illum octies adhibuit (I, II, VI, VIII, IX, X, XI, XII). Non defuerunt ideo qui Syncerum istius modi repertorem repulaverunt. In illorum vero sententiam non quidem Scherillo descendit, Syncerumque haud inventorem sed eorum doctissimum solummodo asserit qui eo modo usi sunt (1). Illi plane Murari suffragari videtur cum dicit : « Il primo ad usarla come metro in grande poema fu Dante Alighieri nella Divina Commedia, che la portò ad altezza sublime (2). »

Quanam autem ratione hunc modum versuum, bucolici poetæ præsertim, affectaverint, grammatici certant. Nec illi sumus qui Minturno assentiamur, is enim non dubitavit dicere : « E ragione volmente gli sdruccioli si sono dati à versi pastorali, si perché, essendo lieve e humil la materia che in loro si tratta, voci di niuna o di pochissima gravità loro convengono, e si perche gli antichi poeti, e spetialmente i Greci inventori di tal poema, i quali i nostri si studiano d'imitare, usarono i Dattyli, à i quali somigliano gli sdruccioli, nel quarto e nel quinto luogo (3). » Quibus verbis, factum quoddam asseritur, frustra vero ex eis aliquid depromas quod percunctantibus inconcussum responsum tribuat.

Quanam ratione res se ita habuerit, adhuc inquirendum est. Docti etiam A. d'Ancona et O. Bacci, in historia de litterarum studiis in Italia nuperrime conscripta non litem dirimunt, unum tantummodo asserunt, hunc modum scilicet a poetis bucolicis fuisse usurpatum : « È da ricordare che la terzina era il metro consacrato al genere bucolico (4). »

Ni fallor, Vergilii vestigia secuti, qui inter Italiæ poetas de rebus pastoralibus cecinere, non oblivioni mandaverunt cantus quos in Provincia jam nostri dederant, illosque præsertim qui vulgo *Sirventes* dicuntur, semper in conspectu habentes, ver-

1. Scherillo, *op. cit.*, Introd., XII.
2. Murari, *op. cit.*, ch. II.
3. Minturno, *Art. poetic.*
4. Cf. A. d'Ancona et O. Bacci. *Manuale della Lett. Italiana*, Firenze, 1892.

borum numerum quo in illis usi erant nostrates, imitati sunt.

Quidquid autem de hac lite doctiores dixerint, modum inquirere quo numeros suos disposuerit Syncerus, et schemate quodam, illum notare liceat.

Plerumque, ratione quadam utitur quam litteris indicare fas est :

ABA BCB CDC DED. . . . . XYX.

Aliquoties vero, modos nectens, verborum numeros implicat nec *Terzino* vale dicens, ut in prima præsertim et decima ecloga, epilogum quemdam, endecasyllabis expressum adducit, quos quidem ita adhibet ut « homolæoteleuton » versibus mediis signatum, eos ad sonum exquisitiores, inter se cohæreat. Quod optimis rationibus effecit; in prima enim, narrationem de puellula quadam quam ad rivum forte invenerat optimo dicendi gedere evolvit; in decima autem verba mœsta a Caracciolo edita illiusque formidinem ne ruina quadam nova mundus evulsus pereat, expressit.

In his autem non est cur longius immoremur, Petrarcha enim verborum hos numeros jam ablibuerat. Syncerus vero, etsi non illos invenit, eo tamen modo usus est, ut exquisita ad sonum verba non inani cursu quidem sed profluente quodam et canoro mentem omnino delectent.

30. — De variis Arcadiæ editionibus.

Ut extremum aliquid disputatio nostra habeat, de variis *Arcadiæ* editionibus pauca disserere liceat.

Quo pacto Sannazarii *Arcadia* priusquam typis mandata fuit, jam a multis legeretur, non satis nobis repertum fuit, illud vero abnuere nefas esset cum præsertim d'Ancona scripserit : « Già prima l'*Arcadia* girava manoscritta e scorretta, finchè per cura di maestro Bernardino da Vercelli usci in Venezia 12 maggio 1502 (1). »

Princeps ista editio, nuperrime a Scherillo reperta, mendosa quidem, Sannazarii iram vehementer commovit, nec potuit quin e Gallia cuidam amico epistolam mitteret qua verborum contumeliis Bernardinum lacerat, multisque probris increpat. « Con dispiacer molto — inquiebat — ho inteso la iniquità usata con-

1. D'Ancona, *op. laud.*, II, p. 111.

tro di me per quel non so chi ribaldo falsario... Deve esser uscito da qualche vil prosenca o di Calabria o di loco piu ignoto, e per imbellirsi, si fa di Napoli e mio amico; che posso io giurare — e non pecco per memoria — in mia vita non aver mai inteso tal nome, non che conoscere si cattiva bestia... Se lo ha fatto per darmi honore, io non ne lo ho pregato... se si scusa farlo per vivere, vada a zappare o a guardare porci, come forse è più sua arte che impacciarsi in cosa che non intende. »

Libellus autem, etsi mendosus, in manibus publicis versabatur, nec unus erat quidem qui eum retrahere posset. Aliquid solum supererat, emendatam scilicet editionem dare, qua gloriam Synceri tuerentur sui amici. Quam quidem Summontius, unus ex Arcadiæ collocutoribus, omni opere inchoavit; illaque, Neapoli, ann. 1504 prodiit.

Proœmio quodam, lectorem docet non alia ratione novam excusam fuisse editionem, quam ut Synceri fama integra servaretur. Jacobus ipse, diligenter librariorum mendas deleverat, nilque aiebat quod non probaret in illa contineri quæ nunc palam prodibat. Opus, insuper crebris locis inculcatum et reflectum, duas orationes sermone soluto, eclogas etiam eodem numero pervulgabat, quibus addebatur ultima Sannazarii oratio, qua fidibus suis vale dicebat æternum poeta noster.

Editioni novæ adeo favit populi conclamatio ut, paucis elapsis mensibus, altera ex typis prodierit, non multo prioris dissimilis, quæ quidem multis editionibus postea vulgata fuit. Eas numerare non sine tædio esset; illius idcirco mentionem tantummodo faciam, quam an. 1514 Manutius Aldus edendam curavit, ipsique Sannazario nuncupavit.

Ne silentio aliquid prætercam ex eis quæ ad famam Sannazarii pertinent, liceat etiam editionem commendare, quam an. 1556, Venetiis, T. Porcacchi edidit; enarrationem ei præfecerat qua et de rebus philologicis et de his quæ annalium memoria renovanda sunt, cum maximo studio agebatur.

Anno 1559, Francesco Sansovino, quam prius ediderat Porcacchi, editione nova compilavit.

Utramque, Massarengo, paucis e suis additis, editione nova ann. 1595, renovandam esse curavit, et opus condidit quod postremo semper renovatum fuit, cum Neapoli an. 1720, Felice Mosca curante, tum Paduæ an. 1723, G. Comino præficiente.

Nostra ætate etiam, typis *Arcadia* mandata fuit. Mediolani, an. 1806, magnis sumptibus, Corniani quidam, editionem

novam enarrationibus a Portirelli factis, amplissime ditavit.

Taurinorum Augustâ vero, an. 1888 quamdam edidet Michele Scherillo, quæ quidem, magno scientiæ apparatu, omnes quæ fuerant antea, non comparat solum, sed codicibus e Vaticani et Neapolis bibliothecis, accuratissime emendat. Illa, absque ulla dubitatione omne punctum tulit, et sanos quidem homines a scribendo alteram deterruit.

Grammaticis, magno momento erit opus a Scherillo conditum, illis præsertim qui linguæ Italianæ curam impendentes, incrementa quibus creverit notare cupiunt; formæ enim et verborum notationes quas elegerat Sannazarius, illæsæ reperiuntur. Idcirco, ejus opera, nunc omnibus licet modos varios inquirere quibus Italorum sermo, nuperrime a Dante et Petrarcha fere creatus, latinorum linguæ cum formas tum etiam vocabulum exuerit, ut purum et perfectum dicendi genus novum fieret. Apud Sannazarium, quadam cunctatione sermo oneratur ; multa quidem Tullium sapiunt, doctis vero non operosum esset alia indicare quæ, oppidano dicendi genere quasi fucata non eximiam urbanitatem redolent. Ingenui tamen nullius erit verborum ornatum negare, Sannazarianæque orationis flumen cum solutæ tum membris adstrictæ, non magnis laudibus comitare.

Etsi enim primatum non obtinet Sannazarius noster et illi antecedunt Dante et Petrarcha, quos tamen haud magno intervallo sequitur, de illo quod de Tullio, Quintilianus dixerat proferre licet ideoque « ille se profecisse sciat, cui Syncerus valde placebit. »

IV

DE ECLEGIIS ET EPIGRAMMATIBUS

1. — Vitam Sannazarii multis in locis narrant.

Multa de modis quibus vitam suam gereret, ut jam diximus antea, nos ipse in *Arcadia,* docuit Sannazarius, quæ vero in illo poemate dicuntur, translatione quadam continua adeo fœdantur, ut vix Synceri mentem intelligere liceat. Etenim, inter pastorum ludos et sermones non adeo facile est, ad res tum gestas pertinentia, ex eis secernere quæ commenticia sunt. Sannazarius autem non ille erat qui in absconditis vitam suam egerit, cum, regum familiaritate utens, rebus militiæ multum implicatus fuerit. Illud vero penitus illum fugeret qui Arcadiam tantum legisset.

In Eclegiis et Epigrammatibus, contra, Syncerum quasi intus et in cute novimus; cuncta enim quæ odio vel amore prosecutus est conspicere licet. Magni ideo pretii erit, cum ad Sannazarium cognoscendum, tum ad res temporibus illis gestas perspecte intelligendas, ista carmina qua poterimus diligentia inspicere. Etsi enim non est inter primores numerandus Sannazarius noster, qui nullis muneribus functus est, ob illam familiaritatem qua erga reges suos utebatur, non potuit quin multa videret et audiret, quæ, poetarum more versibus suis commendaret. Adde quod, eximio animo in rempublicam præditus, fata quibus Neapolis premebatur Arragoneique reges cruciabantur, illum ita commovebant, ut non perfecte tempora illa nosceret qui Synceri carmina despectui haberet. Magni erit etiam momenti illis qui rebus litterarum curam impendunt, epigrammata vel summis labris prælibare, etenim, in eis quæ, ad diem, scribebat poeta

noster, non solum mentem suam sed opinionem illorum etiam qui tunc vivebant in apertum profert.

Dum vero loquitur Sannazarius noster, non verba sua quodam fucato dicendi genere adspergit, maxima autem ingenuitate præditus, cum non ille sit quem, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ, ore libero quæ tunc in Italia gerebantur narrat, sed indignationi suæ nunquam parcens, hostes patriæ, odio, facile diceres immodico, insectatur illisque sæpe notam pessimam inurit. Tum, Summos pontifices, tum nostros exercitus quos barbaros vocat, hispanosque iisdem jaculis confodit. Arragoneorum quidem inimicos non potest quin ira simili prosequatur. Injuria tamen non semper abstinuit, atque plus æquo sæpe, eos inimice insectatus est quos sua invidia oneraverat semel.

2. — Quid libet audendi potestas poetis concessa sit an non?

Quidlibet vero audendi potestas, etsi poetis in iis quæ bonas artes contingunt concessa est, non eadem, ni fallor, in iis quæ ad rem publicam pertinent danda esse videtur. Sannazarium ideo laudibus fraudare omnino nefas esset, cum erga patriam amore incitus, hostes publicos ignominia notat, non est vero cur eum aliqua saltem vituperatione non insectemur, cum impotenti animo effusisque habenis iram suam nullo modo cohibet. Quis enim, nisi sit ipse insania quadam correptus, Sannazario, his verbis Leonem X pontificem summum insectanti annuerit?

Sacra sub extrema, si forte requiritis, hora
Cur Leo non potuit sumere : vendiderat (1).

3. — De Leone X.

Rebus e gentilitate haustis, plus æquo, forsan, Leo X adfuit; nec ideo defuere quibus haud injustum videretur aliquam saltem notam pontifici isti inurere. Non est vero cur, nos ipsi, mendacio cuidam faventes, Sannazarium sequamur. Etenim, Nunziante, testem unum adhibere liceat, qui, sine ulla cunctatione, in jam laudato opere (2) falsam illam opinionem esse asserit, quæ Leo-

1. *Epig.*, III, 8.
2. *Un divorzio ai tempi di Leone X.* Roma, 1887, p. 81.

nem X suprema patientem, sacramentis fraudatum fuisse depingit... Pero la voce dalla quale nacque questo epigramma — inquit — ché cioé Papa Leone fosse morto senza ricevere i sacramenti, era falsa. »

Eumdem etiam pontificem Sannazarius deridet, eo quod Leonis cognomen sibi assumpserit, cum e gente Ursina matrem haberet, Laurentio Mediceo nuptam. Injuriæ non parcens, nigro sale pontificem defricat, etsi ille, ut tunc saltem ferebant tempora, inter principes, longe optimus fuit. Longolius ipse, eumdem Leonem dicacitate quadam perstringit, quem semper in epistolis suis Leontem vocat (1), pontificem tamen, a quo muneribus magnis ornatus fuerat (2) non iisdem maledictis persequitur quibus eum aggreditur Sannazarius cum dicit :

Sumere maternis titulos cum posset ab Ursis
  Cæculus his noster, maluit esse Leo.
Quid tibi cum magno connune est, Talpa, Leone!
  Non cadit in turpes nobilis ira feras.
Ipse licet cupias animos simulare Leonis :
  Non lupus hic genitor, non sinit ursa parens.
Ergo, aliquid tibi prorsus habendum est, Cæcule, nomen :
  Nam cuncta ut possis, non potes esse Leo (3).

Leoni X valde infensus erat Sannazarius qui, oblivioni numquam judicium quoddam dare potuit, quo pontifex, contra Marchesiam Cassandram in matrimonii causa, decreverat (4). Eum ideo non versibus tantum aggressus est, verbis autem atrocioribus etiam, si fieri posset, in litteris quas nuperrime palam protulit Nunziante, insectatus est. Non est vero cur in his longius immoremur. Illum decet enim sine odio et amore esse, a quo rerum gestarum memoria proditur, non ille erat Sannazarius noster qui, Marchesiæ Cassandræ gratiâ præventus, decernendi æquabilitati ommino impar fiebat.

4. — De Adriano VI.

In Adrianum VI non leniore fuit judicio, quem Barbari cognomine notavit.

1. Cf. Ed. Amstelædami, 1728.
2. Cf. Gnoli, *Un giudizio di Lera Romanita sotto Leone X*, Roma, 1891.
3. *Epigr.*, II, 57.
4. E. Nunziante, *Un divorzio ai tempi di Leone X.*

Classe virisque potens, domitoque Oriente superbus,
Barbarus in Latias dux qualit arma domos :
In Vaticano noster latet : hunc tamen alto,
Christe, vides cœlo, pro dolor! et pateris? (1).

Ejus vero pontificis, si quis, æquo animo vitam pervolvere velit, ne unum quidem facinus inveniet quo Sannazarii carmen probatum esse videatur. Etenim, etsi Leonis X omnino dissimilis fuit Adrianus, et poetarum amœnitates contemnere solitus fuit, nedum litterarum cultor assiduus fuerit, non adeo tamen fuit barbarus, curam omnem vero adhibuit ut christianos mores emendaret. Quod quidem multis adeo molestum apparuit, ut non defuerint, sublato jam Adriano qui, Joanni Antracino pontificis medico postes festa fronde per intempestam noctem protinus exornarent cum titulo his verbis inscripto : « Liberatori patriæ S. P. Q. R. ».

5. — De Innocentio VIII.

Innocentium VIII verbis improbis et sale nigro perfundit (2) quod nequiverit filios suos oblivioni dare sed multis muneribus ornaverit. Honores Ecclesiæ, fateor libenter, non ii sunt quibus proceres utantur ad suos ditandos. Innocentio tamen non est cur buccas iratius inflemus, si quos, nondum sacris initiatus, genuerat, amore paterno prosecutus est, nullumque invenies sanum qui pontificem in vituperationem adducat eo quod, filium suum, Magdalenæ, e Mediceorum gente nupserit, aut alli crimini vertat, Theodorinam natam suam, Gerardo Usumari Genuensi justis connubiis junxisse.

6. — De Alexandro VI.

Unum vero, Alexandrum VI, præsertim, adortus est, quem epigrammatibus octo cum in privata, tum in publica vita lacessivit. Nos non fugit multis opprobriis pontificem istum sæpe cumulatum fuisse, historicum decet tamen a falsis vel injustis vera secernere, atque, de omnibus, æqualitate quadam decernendi dicere. Quidquid enim de vita privata pontificis ab historicis dictum fuerit, quod quidem non ad nos pertinet, omnino

1. *Epigr.*, III, 4.
2. *Epigr.*, I, 38.

injustum foret vitam illius publicam contemnere. Primus enim ex summis pontificibus, Italiæ principes variis commodis inter se infensos, utilitate quadam communi in unum contrahere voluit ut, adversus patriæ hostem, coactis copiis conarentur. Nunquam vero Sannazarius in eum, animo placari potuit, qui regem nostrum Carolum VIII societate et fœdere sibi adjunxerat. Attamen, quæ in Neapolim contulerat beneficia, oblivioni a Sannazario non danda erant. Dum enim Carolus noster Arragoniorum regni « investituram » enixe petebat, eam semper abnuit Alexander. Integris ideo animis de modo agendi pontificis dijudicandum erat. Maluit autem poeta, beneficiorum omnium oblitus, sale nigro et injuria pontificem adspergere.

Cuncta tamen ei condonare haud possumus. Absque dubio enim, Sannazariana Musa maximis laudibus adornaretur, si minus invidiæ indulsisset. Etenim parvi ad historicum refert quod Sannazarius scripserit :

> Dic unde, Alecto, pax hæc effulsit, et unde
> Tam subito reticent prælia? Sextus obit (1).

Quid refert etiam idem dixisse :

> Visuram se iterum Sixtum cum Roma putaret,
> Pro Sixto Sextum vidit, et ingemuit (2).

Epigrammata quidem, fateor, eximio profluunt dicendi genere, sed ex iracundia produntur. Ex eadem etiam prodeunt quæ de vita pontificis privata scripsit. In iis præsertim, nimius, asperioribus verbis utitur, quorum sæpe lectorem pudet. Unum tantum ideo adducam a quo facinus quoddam vellicatum esse videtur. Etenim Cæsar Borgia jam purpuræ pertæsus, ut ambitioni suæ indulgeret, nullam rationem commodiorem videbat, quam si fraterno cruore sacrilegas manus fœdaret. Erat pontifici filius, omnium liberorum natu maximus, Joannes dux Gandiæ, copiarum Ecclesiæ imperator. Munus illud affectabat Cæsar. Non occasioni ideo defuit, sumptoque Legati a latere officio ut Regem Federicum inauguraret, cum jam in procinctu staret itineris Neapolitani, haud ultra scelus distulit. Gentem omnem Borgianam, in discessuri Cæsaris gratiam, cœna exceperat mater Vanozza; inde discedens dux Gandiæ, uno tantum famulo comitatus

1. *Epigr.*, I, 22.
2. Id., ibid., 57.

ivit ut res suas obiret; neque post eum diem amplius usquam apparuit. Is autem famulus semivivus inventus, supremum diem obiit ne uno quidem verbo prolato. Deinde non obscuro rumore gliscente, ducem trucidatum fuisse, inquiri jussit diligentissime pontifex, præcipue circa Tiberis ripas si vestigia cadaveris indagari possent. Quod cum frustra tentaretur, inventus est tandem nauclerus quidam qui diceret, se ea nocte qua desiderari cœperat dux Gandiæ, e platea quadam duos prodeuntes homines vidisse, qui omnibus aditibus circumspectissime exploratis, alium vocavere. Ille quidem equo vectus, pondus aliquod quo onerabatur primis tradidit, quod, hominis occisi speciem præbens in profluentem Tiberim projecerunt. His auditis, multos piscatores Pontifex misit qui omnem Tiberim perscrutarentur, illorum ope duo reperta sunt cadavera quorum alterum ducis Gandiæ erat, vulneribus multis confossum. Istius rei, epigrammate, Sannazarius memoriam renovavit.

Piscatorem hominum ne te non Sexte putemus,
Piscaris natum retibus ecce tuum (1).

Quæ de Lucretiæ et Sexti nomine, translatione quadam profert, cum illorum neminem non pudeat, silentio prætermittam (2) ut illa aggrediar quæ contra Cæsarem Borgiam congessit.

7. — De Cæsare Borgia.

Principem, Alexandri filium, tum faceto lepore irridet, tum et sæpius in eum probris procacibus jaculatur.

Ille quidem, aut Cæsar aut nihil esse concupierat, imo verbum istud in annulo suo inscripserat, quod irridens Sannazarius his verbis assequitur.

Aut nihil aut Cæsar vult dici Borgia; quid ni?
Cum simul et Cæsar possit, et esse nihil (3).
Omnia vincebas : sperabas omnia, Cæsar,
Omnia deficiunt; incipis esse nihil (4).

Nil his epigrammatibus lepidius simulque durius inveniri potest.

1. *Epigr.*, I, 51.
2. Cf. *Epigr.*, I, 52; II, 4...
3. *Epigr.*, I. 58.
4. Id., ibid., 59.

Quadam die, cum ab Ursinorum ultione pulsus Cæsar, in molem Adriani profugisset non potuit Sannazarius quin ursorum et taurorum in arena ludos memoraret, et epigrammate quodam scriberet.

Terruerat montes mugitibus; obvia nunc est,
 Et facilis cuivis præda sine arte capi.
Sed tamen id magnum, nuper potuisse vel ursos
 Sternere, nunc omnes posse timere feras.
Ne tibi, Roma, novæ desint spectacula pompæ
 Amphitheatrales reddit arena jocos (1).

Nuntio vero de Cæsaris morte allato, orationis vela prandit Sannazarius noster et gaudio indulgens, his verbis amicum quemdam alloquitur :

O dulce ac lepidum, Marine, factum,
Dignum perpetuo joco, atque risu
Dignum versiculis, facetiisque,
Nec non et salibus, Marine, nostris.

Cuncta deinceps Cæsaris facinora singillatim exsequens, deorum opus esse clamat quod iste « imbutus scelere et malis rapinis », omni spe orbatus victus tandem jaceat, et cantilena eadem versus suos claudit :

O dulce ac lepidum, Marine, factum! (2)

8. — De Alphonso.

Paulo majora cecinit etiam Sannazarius nec homines tantum mordaci carmine destrinxit, etenim non illum sonus grandior fugit, quo Alphonsum, magnis quidem laudibus celebravit. Martis simul et Musarum gloria insignis, ille, honoribus amplissimis hos cumulaverat qui, tunc temporis, in litterarum studio versabantur, benignoque favore Græcos prosecutus erat e Constantinopoli, furore Turcarum pulsos. Eo regnante : « aurea dicunt fuisse sæcula (2). » Non vero simplici fortuna conflictatus est, sed rerum humanarum varias mutationes passus est. Etenim, postquam in regnum adoptavisset eum regina Joanna, mox tædio habuit,

1. *Epigr.*, I, 14.
2. Id., ibid., 56.
3. *Eleg.*, II, 1.

nilque intentatum reliquit ut regno expelleret quem antea defensorem strenuum vocaverat. Nos illud Sannazarius docet :

Reginæ accitu mox Itala regna secutus,
  Chalcidicasque arces, Parthenopenque subit.
Sed quoniam instabiles animos muliebria versant
  Pectora, suspectos deserit ille lares,
Ac patriæ petit arva suæ, nec longa moratus
  Ultores rursum ducit in arma Deos :
Obsessamque intrat nymphis comitantibus urbem,
  Qua per operta vagus labitur antra liquor (1).

Tunc bella quæ Alphonsus gessit, quorum etiam pars magna fuerat Sannazarius, expedito quidem carmine poeta noster narrat, Turcas acie profligatos et Italiæ principes jure subactos commemorat, Romam autem quam armis aggressus erat enixe deprecatur :

Parce tamen, veneranda parens, si justa secutus
  Signa sub Alphonso, rex erat ille meus (2).

Ecce autem, qui modo, carmen aliquod haud quidem Œneide majus, aliquid vero epicum sonans cecinerat, puellæ cujusdam jussis parens, verba submittit eximiumque Alphonsi præconium ignavis querulis absolvit :

Sed me formosæ detorquent jussa puellæ
  Ne possim tantis invigilare choris :
Et vetat asper Amor dulces contemnere curas,
  Cogit et inviso subdere colla jugo.
Nec prosunt lacrymæ, nec verba precantia mortem
  Ille suas in me concutit usque faces (3).

Verbis istis ultimis adeo commovetur Scherillo, ut non possit quin Syncerum nostrum vehementer exagitet : « E ben grottesco — inquit — veder spasimare d'amore e reso inetto un poeta che poco fa vedemmo con la spada in pugno passare di vittoria in

1. « L'instabile animo di Giovanna, pervertito anche peggio dai suggerimenti di ser Gianni, quando s'accorse che Alfonse voleva essere un successore sul serio, adottò il rivale Luigi III d'Angiò. Dopo tre anni che era rimasto in Napoli, Alfonso, tradito da suoi migliori, risalpò per la Catalogna. Quando la regina venne finalmente a morte, egli piombò sul regno, e dopo non pochi fatti d'armi e un non breve assedio, s'impadronì di Napoli, entrando per un acquedotto, e si assise stabilmente sul trono. » (1442). M. Scherillo, *op. cit.*, Introd., I.

2. Cf. *Ecloga*, IV, v. 63, Sannazarius.

3. *Eleg.*, II, 1.

vittoria e non arretrarsi nemmenno innanzi alla sacra rocca capitolina! Qual che non valse a far Roma, ora fa lo sguardo di una femminetta; e l'eroe Alfonso ha da fermare il suo carro trionfale innanzi al sepolcro del poeta, per dirgli : « poveretto, dormi in pace, tu che sei stato ucciso dalla crudeltà della tua donna! (1) »

Quare si nostri veniet tibi nuntia lethi
  Fama, triumphales jam prope siste rotas;
Atque hæc ad cineres mœrens effare sepultos :
  Sævitia dominæ rapte Poeta jaces! (2).

Alibi tamen, bellicum adhuc canit Sannazarius, opus est enim ut alia crinem compescat fronde, animoque volenti rursus exclamat :

  Nil mihi cum sertis, Bacche jocose tuis.
Ipse autem virides Parnasi in vertice lauros
  Decerpam, aut silvis, Pinde canore tuis.....
Non ego nunc molles meditor lascivus amores
  Nec jacio ad surdas carmina blanda fores.
Major ad heroes me sublevat aura cothurnos :
  Major et in nostro personat ore Deus,
Lætus ades, Federice : tuas ex ordine laudes
  Exequar : auspiciis fama petenda tuis (3).

9. — De Federico.

Etenim, ea tempestate, cum Venetiis et summo pontifice fœdera junxerat Federicus, eximioque duce Gonsalva Cordubensi adjuvante, barbaros e finibus suis propulerat. Tunc :

..... cessere metus, cessere pericla
Barbarus hostiles ad sua vertit equos,
Jam juga, jam læti respirant undique campi.

Arragonensium tandem, bene fulta triumphis stat domus; amicos suos tunc præmiis donat Federicus, Sannazariumque, quem vatem fecerat, nunc agricolam ditat (4), Mergillinem villam illi tribuendo

1. Scherillo, *op. cit.*, Intr., I.
2. *Eleg.*, II, 3.
3. *Eleg.*, III, 1.
4. *Epigr.*, I, 1.

..... Regnum decus una quondam
Delitiæque (1).

In diem vero hæc bona fuere, Ludovicus enim duodecimus noster, Italiam mox denuo occupat, Neapolim vastat et Federicum ex ipsius regno expellit cui, cuncta nuperrime fauste successerant. Tunc omnibus destitutus, suisque fractis copiis, exsul ad Ludovicum pervenit, a quo benigno animo acceptus, honoribus cumulatus, annua etiam pecunia auctus, Turonensem civitatem domicilio elegit. Ad Galliam profecturus erat jamque vela ventis dabant, cum ad regem suum infelicem Sannazarius occurrit, non tantum eum comitandi sed etiam si voluisset, propriis stipendiis ditandi cupidus. Federicum vero munere suo ditare non potuit amicus studiosus, nunquam autem a latere illius discessit sed in partem doloris venit, ut illum in exsilio sequeretur cujus gloriæ particeps fuerat.

Mirum fidei documentum, quod quidem maximis laudibus dignum, singulari gloria Sannazarium exornat paremque illis facit quorum amicitias versibus suis celebravere poetæ. Exsilium sponte secutus est, atque merito, cum patriam linquens jam altum tenerent, ex summa nave Musas obtestatus est ut illis essent comites, et, numina vatum, lætis auspiciis, mentem suam servarent (2). Imo, tunc modestia quadam ductus, nonnulla addidit verba, quibus præmium respuens, exsilii meritum satis esse ipsam fidem cupit. Velim ita sit; dummodo nobis liceat iterum atque iterum fidelem Synceri operam verbis nostris celebrare.

Non a rege caro Sannazarius discessit, quin diem supremum obiisset iste, cui etiam justa reddidit quorum memoriam alta mente repostam servavit. Etenim, ne unus quidem est qui non illam in his versibus agnoscat :

Ah Liger, ah nimium lacrymis urgende meorum
Qualia spectabis flumine busta tuo!
Busta, quibus magni ponant diademata reges,
Grataque solemni flore parentet humus.
Atque aliquis Latio veniens novus hospes ab orbe
Portet honoratas munus ad inferias,
Et dicat : Federice tuorum hic meta laborum
Hæsit. Habet nostros hæc brevis urna deos (3).

1. *Epigr.*, I, 2.
2. Cf. *Epigr.*, III, 9.
3. *Eleg.*, III, 1.

Miro tamen patriæ desiderio tenebatur Syncerus, quod quidem epigrammate quodam nobis declarat (1) quo etiam D. Nazarium deprecatur dulcesque amissæ patriæ recessus memorat dum in campis ignotis vagabatur.

10. — Patriæ suæ versibus opitulatur.

Patriam vero quam ardenter cupiebat armisque strenue defenderat, suis etiam versibus conatus est ut ab omni injuria tutam præstaret. Etenim ab exercitibus nostris Neapoli capta, cum premeretur justitia et a nostris, omnis rerum privatarum vel publicarum cura deponeretur, Sannazarius iram suam non cohibuit amplius, sed Petrum de Roccaforti maximum regis Galliarum cancellarium, qui tum urbi captæ præerat, ardore valido adortus est :

Quis credat? tectis cives pelluntur avitis,
Adrogat injustas dum sibi fiscus opes.
Fiscus opes miserorum. Hoc est, heu, parcere victis?
Hoc est Ausonio reddere jura solo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas, patriis exspoliata bonis :
Culpaturque fides domino servata priori,
Et maris, et terræ non labefacta minis.
Scilicet est crimen duram contemnere mortem
Scilicet est reges crimen amare suos (2).

Non illum fugit « una salus victis nullam sperare salutem (3) » laborat Sannazarius tamen ne res in pejus vertantur, regique famæ vindictam, audacter minatur :

..... Quamvis sævos illectet præda tyrannos,
Magnanimos reges gloria sola juvat.....
..... si quis feræ spernit præconia famæ
Quercubus alpinis adnumerare potes (4).

Non minis tantum utitur sed regem spe longa et victoriæ gloria accendit faustoque omine precatur ut illi

..... contingat Solyma de gente triumphum
Captaque per nostros signa videre duces (5).

1. *Epigr.*, II, 58.
2. *Eleg.*, I, 8.
3. *Œneide*, II, 354.
4. *Eleg.*, I, 8.
5. Id., id. — In animo habebat Carolus noster, postquam Neapolitanum regnum sui juris fecisset, bellum movere Turcarum imperatori Bajazeti.

Cunctis enim qui tunc vivebant, Orientis imperium fato, in Caroli VIII gratia servari, unanimis erat opinio, eam fefellit eventus, sed non ideo spernendus Syncerus qui ne unam quidem intentatam rationem reliquerit ut a suis bellorum clades quam potissimum averteret.

11. — De rebus litterarum quid senserit Syncerus.

Rebus litterarum etiam, cura maxima Sannazarii mentes deditæ erant, multaque nos docuit quibus, ut mihi saltem videtur, nil ad delectationem lectoris aptius est. Idcirco illa cursu quidem rapido percurrere liceat; magni est enim quid de poetis senserit Sannazarius inquirere.

12. — De Homero.

Quem in *Arcadia* imitatus est, poetarum principem, Homerum, non ille Sannazarius erat qui oblivioni daret, non tamen illius ingenium laudibus exornat, epigrammate vero quodam quod quidem ex A. Gellio translatum erat de patria Homeri tantum dicit :

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ
Cedite jam : cœlum patria Mœonidæ est (1).

Versus isti nobis afferunt Tullii memoriam dum in oratione pro Archia exclamat : « Homerum Colophoni dicunt civem esse suum; Chii suum vendicant; Salamini repetunt; Smyrni vero suum confirmant. »

Illis temporibus, quidam, in latinum, Homeri carmina verterat, hunc, cujus nos nomen fugit Sannazarius commendat, Romanumque civem repetit cujus opera in omnibus manibus versantur :

Quid septem de vate sacro contenditis urbes?
Ecce potest civem dicere Roma suum.
At vos aut nostrum, si fas, auferte Maronem;
Aut alium vobis quærite Meoniden (2).

1. *Epigr.*, I, 6.
2. Id., ibid., II, 53.

13. — De Vergilio.

De Vergilio, multa passim, tum in eclegiis tum in epigrammatibus dicuntur, nullibi vero, ex proposito, laudes illius celebrantur, quod quidem mirandum, cum eadem civitate ortus, illius in *Arcadia* confestim vestigia secutus sit, eumque adeo admiraretur ut natalem diem quotannis solenni convivio cum familiaribus celebraret. Non erat vero cur unum laudaret, quem maximi faciebant omnes.

14. — De scriptoribus suæ memoriæ.

Auctores suæ memoriæ, amplissimis laudibus exornat Sannazarius, unoque Politiano excepto, non æquis tantum et justis verbis existimantur omnes, sed humane et liberaliter accipiuntur.

15. — De Politiano.

Gravissima enim convicia in Politianum jactavit Sannazarius, adeoque vehementer in illius *Miscellanea* invehitur, ut non possit, doctus ille vir qui Amstælodamæ editioni latinorum operum Sannazarii præfecit, non dicere : « nollem factum, Syncere, nollem (1). » Merito quidem. Non enim Sannazarium nostrum contumeliæ decent quas in Politianum his verbis intorquet :

I criminose maximam in malam crucem.
Haud fas quietas manium sedes Deum
Muscas subire, pulicumque copias.....
Abi profundam in noctem, et ultimum Chaos.

In *Miscellanea* Politiani, vehementer impetum fecit Sannazarius, verbisque haud modestis in ipsis immunditiis spurcitiem quæsivit (2). Politianus quidem, nescio quem obsceniorem sensum in epigrammate a Catullo, passeris Lesbiæ gratia edito, latere asseruerat, Martialisque auctoritate interpretationem suam firmare volueral. Utramque refellit Sannazarius, Catullum enim adeo maximi faciebant qui eo tempore, litteris curam impenderant ita ut ejus nobilitatem acceptam tangere, omnino nefas esset.

1. Cf. *Epigr.*, I, 67.
2. Id., ibid., I, 66.

16. — De Pontano.

Cujus vero memoriam intactam esse cupiebant, non pari reverentia opera accepere. Jovianus enim, in illa editione Catulli quam primus edidit, multa de suo adjicere, mutare et delere non abstinuit, quæ quidem a Sannazario probata fuisse, aperte ab epigrammate quodam cognoscitur.

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
  Ingratisque trahat Lesbia sola choros,
Non tam mendosi mœrebit damna libelli,
  Gestiet officio quam, Joviane, tuo.
Ille tibi amplexus, atque oscula grata referret,
  Mallet et hos numeros, quam meminisse suos (1).

Ita prorsus non existimabat Moretus, qui in commentariis suis de Catullo, postquam Sannazarianum epigramma dedit, ea subjungit ; « Catullus mallet profecto, ut opinor, suos. Ego, etsi non video quid aptius appingi potuerit, satius tamen duco esse lacunas in bonis libris, quam easdem cujusquam ingenio expleri. »

Eodem desiderio non Sannazarius flagrat qui multoties, Pontanum, eximiis laudibus extulit :

Salve sancte senex, vatum quem rite parentem
  Præfecit terris Delius Ausoniis.
Non te Letheæ carpent oblivia ripæ,
  Nec totum in cineres vertet avara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum.
  Niliacas dabitur vincere Pyramidas (2).

Cujus etiam opera, post obitum neglecta, e tenebris in lucem cum P. Œlii consilio tum P. Summontis auxilio usus, quam maxima cura, Sannazarius revocavit. Illum quidem « magno digna Marone (3) » scripsisse, in mentem habebat, amicitiæque muneri haud impar esse ardebat erga eum a quo ex pueris excedens, liberalibus artibus imbutus fuerat. Eadem semper benevolentia in Pontanum usus est Sannazarius, ad Sadoletum enim cum suum *de Partu* carmen direxisset, non laude ampliori eum celebratum iri voluit quam iis vocibus... « nè da la bona memoria del Pontano, expectaria io piu saldo e desecato

1. *Epigr.*, I, 13.
2. *Eleg.*, I, 9.
3. Cf. *Eleg.*, I, 11.

judicio che da lei (1). » Ipse quidem Pontanus, Syncero magna familiaritate utebatur, et eum « consiliorum non raro suorum socium, sæpe etiam laborum participem » vocavit.

17. — De J. Maio.

Invidia non laborabat Syncerus, sed quam gratissimo semper fuit ingenio erga magistros suos, e quibus Maium, ea tempestate virum insigniter eruditum, non solum conscium habuit et in conscientiam assumpsit (2), sed illius ludi cui assederat memor, laute et præclare commendavit :

Quique tot egregias animas, tot clara virorum
 Ingenia enixu format, alitque suo
Necta honorata Maius sua dicta corona
 Tamque pias ferulas regia sceptra vocet (3).

18. — De Eclegia qua omnes æquales suos commendat.

Omnes fere memoriæ suæ poetas, quibus familiariter utebatur, in eclegia quadam, tanquam ad cœnam natali die sua vocatos commemorat (4). Illam quidem ad verbum referre, libenter vellem, de omnibus enim certum et verum statuitur judicium quod, paucissimis verbis coarctum, versute atque sollerter poetas omnes reprehendit.

Luce enim totum expectata per annum jam redeunte, quæ jussit illum erectum tollere ad astra caput, ad genium colendum, thura deferri merumque infundi imperat, splendida etiam solennes instruit mensa dapes, in qua coadunantur amici ; ex eis, princeps Pontanus « puniceo cothurno » incipit dicere

Naturæque vias, tenerique exordia mundi.

Crassus, cui, si qua in illo laude digna erant, Syncerus omnia tribui volebat, « æterno frondis redimitus honore » ostendit atavi regna opulenta Sannazarii. Altilius, vix omnium hujus sæculi eruditorum judicio et modestissimus et doctissimus « novos superis laturus honores, » Pindarica ferit carmina doctâ lyrâ.

1. Cf. Nunziante, *op. cit.*, lett. 37.
2. Cf. *Eleg.*, II, 7.
3. *Eleg.*, I, 11.
4. Cf. *Eleg.*, II, 2.

Marullus, quem ni fallor, nimis Syncerus laudat (1) « verba antiqui reddit, numerosque Lucreti ».

Panhormita, lascivioris quidem carminis conditor, dulcis tamen et facetus, quem elegantiæ parentem nonnulli appellaverunt « lusus et scripta recenset ».

Garlon (2) quoque incipit « jam docta plectra movere manu ». Talibus auspiciis — inquit Sannazarius

... geniales ducere cœnas
Thespiadumque modis concelebrare juvat (3).

Summontium silentio prætermittere nefas esset, cum ejus judicio *de Partu* opus suum subjecerit Sannazarius. Quid eximii in illo homine fuerit, jam diximus, neminemque fugit, post decem recitatos versus ejusdem sensus, vix unum Synceri probare. Primus etiam, in lucem *Arcadiam* edidit. Quorum memor Sannazarius illum ob eximiam pietatem laudat qua

cultis reparat monumenta libellis,
Cum possint longam saxa timere diem (4).

Musam etiam deprecatur :

Ut quoniam dulces optat sic vivere amicos
Vivat, et in libris sit sacer ille meis.

Ne Cottam quidem obliviscitur Sannazarius, illumque merito quidem, novum Catullum nominat; illius enim versus non nisi amorem sonant et Lycorim celebrant, venustate quadam eximia, ingenuitate etiam, quorum gratia ideo non immodicus Sannazarius esse videtur dicendo :

Sperabas tibi, docta novum, Verona, Catullum,
  Experta es duros bis viduata deos,
Nulla animum posthac res erigat : optima quando
  Prima rapit celeri Parca inimica manu
Quæ tamen ut vidit morientis frigida Cottæ
  Ora, suum fassa est crimen, et erubuit (5).

Charitæi etiam, ex alumnis academiæ Pontanæ, viri splendidi

1. Cf. *Eleg.*, I, 11.
2. Cf. *Eleg.*, I, 4.
3. *Eleg.*, II, 2.
4. *Epigr.*, II, 10.
5. *Eleg.*, II, 15.

et elegantis tam ingenio quam cultu, diligenter Sannazarius attendit ne memoriam omittat (1).

Scalam qui ipse sibi Tullianus visus est, maximi Syncerus facit nec Politianum sequitur qui asperioribus verbis illi succenset. Non erat Syncerus qui vera a falsis non decerneret, sed in lucrum Scalæ cessit quod Marullo filiam suam matrimonio collocasset. Ideoque amicitiæ indulgens, Sannazarius scripsit :

Nec te jam pudeat venturo ostendere sæclo
Eloquii vires, Scala diserte, tui (2).

Pardus, etsi alieno cœlo natus, verbis Sannazarii extollitur, insignis, ea tempestate philosophus qui Pontano familiariter utebatur; quod ex eo sciri potest, in carminibus præsertim Sannazarii invenitur. Temporum enim iniquitate illius absumpta sunt opera, cujus saltem Syncerus magnis laudibus gloriam celebrat.

Parde decus patriæ, spes maxima Parde tuorum
Atque idem Hispani gloria rara soli :
Quem juvat immensi causas exquirere mundi
Primaque constanti corpora juncta fide (3).

Quemdam nominat Syncerus, Petum compatrem. Vir ille Neapolitanus, inter primos suæ ætatis eruditus erat ac festivi ingenii, ejus vero nihil, quod revera sciam, extat, nec amplius nobis de eo scire licitum est nisi quod Sannazarius dixerit :

Nec minus et Musæ repetens monimenta jocosæ
Compater, argutos ingerat ore sales (4).

19. — De minus pudicis apud Sannazarium repertis.

Scaliger, in illa epistola quam commentariis suis in Catulli, Propertii et Tibulli operibus præmisit, cum de versibus parum pudicis loquitur quos quidem castæ aures ferre non possunt, quædam adjicit quæ libenter sumam. « Vellem equidem — inquit — ipsi veteres pudoris aliquam rationem habuissent, neque tot infamibus scriptis hominibus sese traduxissent. Sed quia aliter contigisse videmus, interea nos isto Catone contenti erimus. Nam

1. *Eleg.*, I, 11.
2. Id., ibid.
3. *Eleg.*, I, 2.
4. *Eleg.*, I, 11.

ex quibus latinitatem quam ex istis fontibus hauriemus? Et tamen isti tres poetæ flagitiosius non loquuntur, quam vel una Aristophanis comædia. Cujusmodi tamen multas semper lectitasse Chrysostomum proditur, at quantum virum? Cui profecto eloquentia, probitate, pietate, parem alium nulla post ætas tulit. Lectionem poetarum ego mari comparo. In eo sunt scopuli, ad quos tamen peritus nunquam navem offendit. In poesi sunt quædam non bona dicta, in quæ nunquam pius animus offendit, sed ea strenuus secure prætervehitur. Quare ut quosdam rogatos volo, quos delectant poetica, ut ab illis prætextatis verbis aures, oculos, linguam, animum denique abstineant; ita alios castigandos censeo, qui propter unam aut alteram, vel denique paucas aspersas labeculas totum opus maculosum putant (1). »

Apud Sannazarium nonnulla inveniuntur etiam, in prima fronte quorum Martialis dictum præponi posset :

Innocuos censura potest permittere lusus
Lasciva est nobis pagina; vita proba est.

Nec poetam fugiebant Catulli verba :

..... castum esse decet pium poetam
Ipsum; versiculos, nihil necesse est (2).

Quibus omnino paruit ille; etenim vita sua non illis pejor fuit omnibus qui tunc temporis vivebant, versibus autem suis non semper quæ reverentia digna sunt, sancta habuit. Apud illum tamen, cum plerumque auribus honos sit, nobis reprehensione maxima dignus esse videtur, quem non eadem semper linguæ modestia usum, saltem et iterum protervitate quadam versus suos fœdare non puduit.

20. — Quid de vita et amore senserit?

Attamen, de istis ne plura faciam, inquirere liceat quanam ratione cum de vita tum de amore sit locutus. Illa quidem omnibus maximæ curæ esse solent, poetas vero in primis juvant.

Illis quidem temporibus, quo litterarum amor novus quasi incaluit, ethnici mores revocati esse videbantur, omnique disciplinæ christiane cura spreta, unum tantum diceres sanctum fore

1. Catulli, *Lib. Propert. opera.* Lutetiæ 1604.
2. Cat., I, 16.

hominibus, ingenio suo indulgere, diem carpere, lætis et lautis epulis tempus consumere. Non me fugit, tunc temporis, multos extitisse et pingendi et fingendi arte adeo eximios, ut vix illos superare fas esse videatur; docti etiam non defuere rerum antiquarum periti, quorum quidem gratia rationum agendi latebras tum Græcorum tum Romanorum penitus novimus. Illud negare insolentissimæ esset audaciæ; non a sensu abhorrent tamen, quibus visum est tunc etiam nimis carnis lasciviis indultum fuisse, et plurimum Calvini disciplinam valuisse, præsertim in eo quod spiritus vindicatio quædam fuerit, aspera quidem non autem injusta.

Quicquid id est, inter poetas qui veterum lyricorum exemplo, tempus fugax, Veneris ludos et Liberi gaudia celebravere, non minimus eminet Sannazarius. Non alio fere modo quam quo utitur ille, suos amicos adhortabatur Horatius ad curas vino pellendas (1) dulces amores capiendos (2) et amara lento temperanda risu (3). Mores eosdem imprimere cupit Syncerus, nec per duros aditus rupes ve fragosas, sed per floriferum vallis adeamus iter, quam plurimum exoptat,

Vallis, perpetuo quam vestit gramine rivus,
Et quam vicini littoris aura fovet.
Hoc est, hoc... deos æquare merendo
Hoc est æterni sceptra tenere Jovis (4).

Horatium audis dum calendis Maii exclamat Syncerus :

Grandia fumoso spument crystalla Lycæo,
Et bibat in calices lapsa corona meos.
Post obitum non ullæ mihi carchesia ponet
Œacus. Infernis non viret uva jugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem; mediis mors venit atra jocis (5).

Nonne eadem prædicabat qui dona præsentis horæ capiebat lætus, linquens severa (6) et Munatium vocabat ut vino pelleret curas?

1. Cf. *Od.*, I, 7, 9.
2. Cf. *Od.*, II, 16.
3. Cf. *Od.*, III, 8.
4. *Eleg.*, II 6.
5. *Epigr.*, I, 3.
6. Cf. *Od.*, III, 8.

An scimus miseri quid lux ventura minetur,
Vivamus; mortem fallere nemo potest (1).

Jam nos illud docuerat Horatius dum Postumium monebat, nec pietate, moram indomitæ afferri morti (2). Spem vero longam inchoare omnino fas erat Sannazario; imo, ab illa quam colebat pietate jussum; more tamen eorum qui tunc vivebant, Christum diceres omnibus tædio fuisse nec rogi flammis longius animos speravisse. Quid enim in his versibus ad Christum pertinet?

..... quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ

Tempora, et amplexus jungere fata sinunt :

Dulcia lascivo jungamus gaudia lecto :
Jam properat mortis panda senecta comes (3).

Humanum illud esse fateor, Sannazarium vero aliquid divinius cecinisse decebat.

Flebile nescio quid, interdum lyra Sannazarii queritur, hominesque hortatur ne desperatione vehementius se demittant animo. Etenim « improvisa leti vis rapuit rapietque gentes (4) » quid ergo querimur

..... cito si nostræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.....
Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces
Nec tu, quæ mediis æmula surgis aquis.
Et te, quis hæc putet? altrix mea, durus arator
Vertet, et, Urbs dicet, hæc quoque clara fuit.
Fata trahunt homines, fatis urgentibus, urbes,
Et quodcunque vides auferet ipsa dies (5).

Sententiam eamdem, iisdemque fere vocibus iterat, dum Campani theatri dilapsa vetustate mœnia obit (6)

..... heu fati leges, rapit omnia tempus
Et quæ sustulerat, deprimit ipsa dies.

Mortis pallore omnia suffundit, illiusque ductu in Ladislai regis

1. *Epigr.*, I, 60.
2. Cf. *Od.*, II, 14.
3. *Eleg.*, I, 3.
4. Hor. *Od.*, II, 13.
5. *Eleg.*, II, 9.
6. *Epigr.*, II, 41.

tumulo quosdam versus inscripsit, mœrore quidem refertos, animi demissi voces :

I nunc, regna para, fastusque attolle superbos :
Mors etiam magnos obruit atra Deos (1).

21. — De Elogiis quæ tumulis insculpsit.

Multa, Sannazarius tumulis elogia insculpsit (2), lepore et venustate quidem referta, nec Martialis aut Tibulli operibus indigna : frustra vero aliquid christianum in iis requires, inhumatosque, Tullii aut Platonis coetaneos fuisse diceres. Quid christiani enim in eis quæ in tumulo Amaranthæ scripta sunt ?

Hic Amarantha jacet, quæ, si fas vera fateri
Vel Veneri similis, vel Venus ipsa fuit (3).

Quid etiam in vocibus quæ Neæræ tumulo addidit :

Quæ voces? Charitum. Quæ circum pompa? Neæræ.
Unde odor hic? cineri thura ministrat Amor (4).

Ista, græcorum aut latinorum elogia imitantur tantum, nec animi mœrentis questus sonant ne illa christiana dicam.

Titulos etiam dedit quibus uti debebant amici ad suum tumulum honorandum, illorum vero non puduisset Catullum. Deos enim deprecatur, ut « inter oves, interque armenta canendo deficiat » ut que « sub umbrosa contumuletur platano, ossaque pascentes venerentur sua capellæ ».

Nec procul a tumulo candida balet ovis
Exsultent alii Panchæo munere manes
Et quærant Pariis marmora cæsa jugis.
Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores,
Conferat et vernas ante sepulchra rosas (5).

Alio in loco, J. Sangrium rogat ut talia in tumulo suo cædat :

Actius hic jaces : spes mecum exstincta quiescit :
Solus de nostro funere restat Amor (6).

1. *Epigr.*, I, 4.
2. Ibid., I, 10, 35; II, 45, 49, 55.
3. Ibid., II, 8.
4. Ibid., I, 42.
5. *Eleg.*, I, 2.
6. Ibid., 10.

Syncerum vero num magni faciam quod, spretis Ulyssæi Œneæ Ascaniive pueri facinoribus, hæc adjecerit?

> Ista canant alii, quorum stipata triumphis
> Musa vagum e tumulis nomen in astra ferat.
> At mihi tete avidis liceat vincire lacertis (1).....

Ille ipse tamen erat qui, duces victos, Hispanaque regna atque horrida bella a proavis peracta canere potuisset

> Demissumque genus antiqua ab origine regum
> Quantaque magnanimi gesta feruntur avi (2),

sed cum formosæ cujusdam deterruerunt jussa puellæ ne posset tantis invigilare choris, sævitiaque dominæ raptus, poeta jacuit.

Etsi ista mere sunt commenticia, pronioribus auribus non ideo accipienda sunt. Quis enim æquo animo Syncerum audiet dum miserabile carmen integrat, illaque emittit :

> Ah pereat, quicunque leves sectatur honores,
> Et sequitur famæ nomina vana suæ.
> Tecum ego nocturnis dubitem cessare choris?
> Tecum ego conspersa gaudia inire rosa? (3).....

Non deerant tunc temporis, multa alia meliora quibus, ni fallor, viri alliciendi erant; ea audivit Sannazarius dum miles strenuus prælio hostes lacessit, molestumque est quod non paulo majora cecinerit, qui eadem agere et celebrare magna potuisset. Adde quod non ea ausus est dicere quæ Horatius quadam die professus est dum

> ..... carmina non prius
> Audita, Musarum sacerdos
> Virginibus puerisque » cantavit (4),

eosque magna docuit. Minoris ideo pretii ethnico erit christianus poeta, innumeraque verba dedit inania qui « de Partu Virginis » carmen, multosque de divo Sannazario elegos versus in medium protulerat.

Attamen, ne quid a nobis, severius asseratur, libenter fatebor, iniquitate temporum potiusquam Synceri, illud evenisse. Etenim illi qui tunc vivebant, ut multoties dictum denuo proferamus,

1. *Eleg.*, I, 1.
2. Ibid., II, 1.
3. Id., ibid.
4. *Od.*, III, 1.

dulci dicendi genere veterum quasi ebrii, verborum numeribus attendentes solummodo, non flocci sententias faciebant. Dummodo ex scriptorum orationibus ipsæ Athenæ redolerent, satis erat, nec amplius requirebant. Syncero idcirco amplissimas laudes tribuerunt qui, integritate sermonis in primis elucebat, nec illi vitio verterunt quod pravissimam consuetudinis regulam secutus sit nedum iter nova via tentaverit.

23. — De iis qui tunc poeseos latinæ curam habuere.

Sed hæc hactenus. Syncerus enim quem Vergilii æmulum cum arcana cœlestia caneret Virginisque partum celebraret vidimus, haud quidem Catulli et Propertii multum dissimilis videtur dum eclegias et epigrammata fingit. Primus enim inter eos eminet, qui, eo quidem tempore, latinam poesim colebant, merito enim M. Flaminius exclamare poterat :

..... nimis beata
Nostra tempora, quæ suos Catullos
Tibullos et Horatios suosque
Marones habuere (1).

Apud ipsum Sannazarium jam vidimus quantis laudibus digni fuerunt, nec ideo libenter cum Gregorovio dicam : « versus latina lingua tunc exaratos nil nisi mortuum et vacuum præbere. » Veteres quidem imitati sunt, Vergilii Ovidii et Catulli vestigiis insistentes, multa edidere carmina quæ translata diceres ; non desunt innumerabilia tamen, quibus mens et animus poetæ palam et in medium traducuntur, in illis enim ille datur qui amore vel odio æstuans non aliena sed ex imo corde profluentia aperit.

Omnes qui, ea tempestate, versus latinos scripsere, vel nomine tantum indicare, minoris cum esset pretii, unum aut alterum addam de quibus, præsertim, nullam apud Sannazarium mentionem invenimus.

Areostus, latino sermone enarravit « i primi suoi amori, le prime sue gioie, e le cure e le incurie e i capricci e i dispetti (2) ». Lingua vernacula præsertim floruit, qua eximio modo usus est, sed multa etiam epigrammata scripsit vel titulos tumulis exaravit,

1. Cit. op. Costa, *Aut. della lirica latina in Italia nei s.* XV *e* XVI.
2. Carducci, *Delle poesie latine di L. Ariosto.*

qui apprime Tibullum sapiunt. Altum tamen de eo silentium servat Sannazarius, nec est cur miremur. Areostus enim, Alieni Foro vitam suam transegit, quod quidem non multas nec adeo faciles necessitudines cum Neapoli habebat. Adde quod, longius ætate provectus, nequiverat Sannazarius illius opera perlegere quæ, magno hominum concursu, accepta deinceps fuere.

In eadem Ferrariensi civitate qua Areostus florebat, alii tunc erant qui, lingua latina haud spernendos versus panderent. G. Pigna cum curâ dicendus est, qui horatianis numeris, principi dicata carmina multa conscripsit, remque amatoriam eximio dicendi genere explanavit. Cœlius Calcagnini etiam qui, Lucretiæ Borgiæ ducis cum Alphonso nuptias celebravit, musaque nimis proterva amoris lusus narravit.

Ibidem, Elius Crotti, musarum maxima cura, ut coætaneis saltem visus est, Liliolam et Cloridem suis versibus celebravit, majore tamen licentia quam ut eum probare possimus.

Cunctos qui tunc versus pangebant, Musarum cultores, eadem inurrere nota haud injustum foret; etenim, ne unum quidem invenies qui lyram suam minus pudicis non semel et iterum fœdaverit. Quod quidem, verbis adeo eximiis jam laudatus Costa explanavit ut verba illius referre dubitem : « Spenti i grandi ideali — inquit — illanguidita la fede, si considerava la vita a traverso un epicureismo sereno, senza che il pensiero della finalità umana tormentasse le coscienze. Godere, quanto più è possibile, spiritualmente et materialmente, deliziarsi nel bello, tentare di conseguirlo nelle arti, era lo scopo dell' esistenza. Ma il supremo dei godimenti è nell' amore, e nell' amore è l'essenza stessa del bello. Quei poeti, accolti nella gaia corte napoletana, o in quella, per arti splendidissima, di Ferrara, o nelle sale del Vaticano dal Pontefice, o da cardinali aspiranti al vanto di Mecenati, tra gli studi e l'amore dividevano la loro vita. E l'amore sopra tutto recava ad essi le vere e profonde ispirazioni (1). »

Concitationes mentis easdem, jam diximus, Sannazarius expertus est, ab illisque exeunt versus interdum minus pudici qui carmen « de Partu » offendunt.

Qui Sannazarium vellet cum Romanis poetis comparare, et quid in illo esset cum Catullo, Propertio vel Tibullo commune dicere, non quidem principem locum ei tribuerit. Catulli exemplo quosdam nominatim, ex veterum consuetudine proscidit; Vero-

1. Costa, *op. cit.*, *Proœmium.*

nense tamen minor, non eadem concinnitate in versibus pollet. Propertii modo, suos solitus est Syncerus, recitare ignes, Charmosynæ formam et laudes celebravit; non vero in eclegiis suis elatione atque altitudine orationis utitur quam Cynthiæ laudator adhibet. Tibulli suavitatem et in affectibus exprimendis ingenii elegantiam secutus est Syncerus, quin tamen eum caloribus superasse videatur.

Sannazarii tamen limatissimis carminibus, nihil post Augusti ætatem, emendatius prodiisse, si quis dixerit, næ ille profecto, haud iniquo judicaret ingenio. Iter enim quod ad veteres elegantias aperuerat Petrarcha, strenue secutus, inter eos qui, ea tempestate, Neapoli florebant, eruditus, atque ore disertus saltem, si non magna sonaturus, ad poesis studium totum se contulit, carminaque fudit quæ non nova, sed vetera omnibus esse videbantur, et etiam digna quæ Romano marmore legerentur (1).

24. — De modis quibus usus est.

Versus elegos, summa cum lenitate quadam æquabili profluente adhibuit Sannazarius, ex illiusque versibus ipse Ovidii modus redolet. Istud vero nil præ se fert mirandum, Ovidius enim maximi fuit momenti illis qui, tunc temporis, in litteris curam insumpserunt. « E uno strano fascino — ait Scherillo — quello che cotesto inesausto poeta di amore esercito sugli uomini del rinascimento anche di fibra gagliarda (2). » Imitationem vero Nasonis quam, vix æquo animo, Scherillo tolerat, adeo feliciter sustinuit Syncerus ut versus ejus elegos perpendere, idem fere sit ac Nasonis carmina legere.

Etenim « elisionem » qua nunquam Ovidius utitur dum versus membrum primum concludit (3), nec ipse Syncerus adhibet; imo, vix intra 1406 versus in Eclegiis suis, vice nona, ni fallor, in membro secundo numerabis; in Epigrammatibus autem, intra 654 versus, septem, semel cum græco vocabulo; in finali autem syllaba una aut altera vice reperies.

Versus, eodem ferme modo quo usus est Ovidius apud Syncerum concluditur. Verbo enim duabus syllabis expresso (4)

1. Cf. *Epigr.*, I, 48.
2. Scherillo, *Arcadia*, Introd.
3. Cf. L. Havet, *Cours élémentaire de Métrique grecque et latine*. 3e édit., § 142.
4. Id., ibid., § 143.

plerumque absumptus esse videtur; aliquoties vero, seu 3.55 intra centum versus (3.55 %), e quator syllabis verbum in Eclegiis adhibet, in Epigrammatibus autem, paulo numerosiora invenies, illud enim 4.2 intra centum (4.2 %) notatur.

Græco vocabulo conclusionem expressam, quam non abnuit Naso et ipse adhibet Syncerus, verecunde tamen, nam vix octo versus in Eclegiis, iisdem vocabulis clausi, eumdemque numerum in Epigrammatibus inveniri fas esse videtur. Tribus vero syllabis conclusionem factam, quam admodum raro apud Ovidium invenies, multoties apud Syncerum reperies, id est octo vicibus in Eclegiis, septemdecim fere in Epigrammatibus. Quinque autem syllabis expressa conclusione, Syncerus, trina vice in Epigrammatibus, sexta vero in Eclegiis utitur, cum istam nunquam apud Nasonem reperies.

Callida verborum instructione quam adhibuerat Naso, epithetum, plerumque in membro primo ita collocat Syncerus, ut nomini, canore numeroseque in conclusione versus posito, apte respondeat.

Nasonis ideo vestigiis insistens, eadem felicitate versus elegos condidit Syncerus quam in heroicis carminibus Maronem secutus est. Unus enim est Sannazarius qui, tunc temporis, cum poematum recte scribendorum ratio diu latuisset; et malos versificatores Latini plurimos, poetam nullum haberent, quasi de cœlo demissus est, et prope obsoletæ artis observatione, pertinacique bonorum imitandorum studio, multaque et jugi exercitatione tantum profecit ut cum antiquis poetis jure conferri possit. Itaque, ut Jovitæ verba referam, Synceri poemata « ut primum perspecta sunt, quasi quædam Phidiæ signa, statim ab omnibus ita sunt probata, ut artem poeticam, quam prius quasi sopitam ac jam prope extinctam lugebamus,eam nunc tantorum et tam excellentium virorum ingenio et arte fultam, gaudeamus ».

Versibus impariter junctis, non tantum usus est Syncerus in Epigrammatibus, sed etiam Saphico metro, phaleciisque versibus et etiam senariis, cum solutis tum strophæ modo coadunatis, de quibus singillatim aliquid dicendum esse videtur.

Dum metrum Saphicum adhibet Sannazarius, Horatianum modum servat, cæsuramque penthemimerem insumit (1); vix enim unam aut alteram post pedem sextum invenimus.

Flacci gressibus pariter insistens, pedem secundum uno

1. Cf. Havet, *op. laud.*, § 351.

verbo coagmentatum iri renuit (1); etenim apud Syncerum tres versus tali modo dispositos vix reperies. Spondeum similiter, secundo pede collocat; elisione vero, quam in secundo membro vix licitam concessere versuum legum ac modificationum periti, aliquoties Syncerus utitur, imo non illam abnuit in versu eodem iterare (2).

Præpositionem tanquam verbum proprium in tertio saphico, jam ante elisionem numerose expletum, quod non Horatius abnuit (3), una vice adhibet Syncerus (4). Adde quod semel, individuum verbum (5) ita sectum insumit, ut dum illius prima syllaba saphicum versum absolvit, adonicus ex reliquis efficiatur.

In adonico numerose pangendo, vel dyssyllabum trisyllabo coadunatum ante contrario collocatum insumit, unaque vice aut altera (6) solummodo, monosyllaba dictione utitur.

Phalæcium metrum quo in Epigrammatibus in primis usus erat Martialis, et multoties etiam Catullus et Statius usurpaverant, Syncerus ipse sexies adhibuit. (*Epig.* I, 6, 35, 56, 66; II, 16, 71.)

Non est cur in istis longius immoremur, cæsuram enim penthimemerem quam adoptaverant Romani poetæ, non ita tamen ut a cæsura post dactylum posita (7) penitus abstinerent, et ipse eodem modo adhibuit Syncerus. Iambum etiam in primo pede aliquoties insumpsit, quod quidem Romanorum usu probatum esse videtur.

In Epigrammatibus, trina vice, senarios versus in usu adegit Syncerus (I, 15, 67; II, 3) normamque a Romanis constitutam sedulo apteque sequitur. Etenim, cæsuram penthemimerem (8) plerumque adhibet, aut, præsertim in Epig. 67 e libro primo, penthemimerem cum hephthemimere coadunatam, elisione vero solutam, in usu retinet. Sæpe etiam, quod quidem exemplis latinorum poetarum probatur, cum spondeo, tum dactylis (9) in imparibus aut paribus pedibus utitur. (I, 15, vers. 1, 2, 9, 10, 12, 15, 16, 17, 19, 27, 28, 31, 32, 33, 35, 37, 45, 46, 49, — 67, vers. 2, 3,

1. Cf. Havet, *op. laud.*, § 352.
2. Cf. *Epigr.*, II, 58.
3. Cf. Havet, § 347.
4. Cf. *Epigr.*, II, 42.
5. Cf. *Epigr.*, II, 58, v. 19.
6. Cf. *Epigr.*, I, 2; II, 67.
7. Cf. Grumbach et Waltz, *Prosodie et Métrique latines*, § 16.
8. Cf. Havet, § 287.
9. Id., ibid., § 290.

4, 5, 11, 17, 18, 19, 20, 22, 24, 25, 27, 28, 29, 34; II, 3, vers. 1, 3, 4, 7, 8.....) Una vice saltem, tres breves in prius pede collocat. (I, 15, vers. 10.)

Dum « hipponactici » modum (I, 31, 41, 63) in Epigrammatibus assumit, illorum modum retinet Syncerus, usumque adhibet quibus syllabam longam ultimo membro anteponere licitum esse videtur (1).

Una vice, senarios cum dimetro per modum strophæ concatenatos (II, 29) in Epigrammatibus Sannazarius assumit. Eodem etiam numero (II, 65) quatuor dimetros strophæ modo coadunatos adhibuit. Tunc non adeo versus coarctat ut illorum sensus strophæ modulatione finiatur sed cursu quodam continuo per illam traducitur ut solummodo cum versu ultimo ferme sententia explanetur.

Modus etiam notandus est quo semel usus Syncerus, dimetros duo cum glyconico et pherecratio coadunatos in medium protulit (III, 1).

In Synceri versibus tum elegis tum variis modis, ductis, non illi quidem sumus qui, varietatem tantum numerorum illamque eximio dicendi genere ad normam optimorum quorumque redactam miremur, libenter vero docto E. Costa (2) assentimus dum ille vocibus suis extollit : « La freschezza e la verità del sentimento è in codeste liriche mirabile. » Adeo ut si poetarum, in hoc quasi Latini nominis censu ratio habenda est; quis in Actii Sannazarii hominis prudentissimi ac doctissimi elimatissimis versibus, nihil nunc de carminis dignitate ac gravitate nihil de rerum dispensatione, nihil de numero et compositione, nihil de ornamentis loquor; sed quis in ejus versibus verbum unum aut sententiam unam offendat, quæ non e medio Latinitatis fonte hausta videatur?

1. Cf. Havet, § 322.
2. Cf. E. Costa, *Autologia della lirica latina in Italia nei secoli* XV *e* XVI, 1888.

V

DE PARTU VIRGINIS

1. — Latini sermonis nec non morum pristinorum usus, Italiam regebat.

Sæculo decimo quinto, Italiæ partes furor quidam invaserat. Omnibus enim qui tunc vivebant unum erat consilium, græcas et latinas præsertim linguas ita addiscere ut, omni post posito vernaculi sermonis usu, Tulliano modo cogitationes et animi sententias traducere possent.

Non epigrammata solum et leviora humani ingenii ludicra, sed etiam rerum tunc gestarum historiæ latino sermone narrabantur. Imo, veterum amore pellecti, sanctorum cognomina, ut jam dixi antea, non viri tantum sed mulieres etiam aspernantes, civium romanorum cognomine usi sunt, nec a græcis abhorrentes ab Homero antiqua mutuati sunt, quibus Iliadis carmina sonant. Cuncta, ita veterum habitum et vultum sectabantur, ut civitatis honores, non nisi priscis vocabulis designarentur. Qui, patres conscriptos, virgines vestales, senatores et Lupercalia audiret, facile deceptus, forum antiquum redivivum crederet ; his tamen nominibus illa significabantur quæ vulgo « conseillers municipaux, nonnes, cardinaux, carnaval » dicuntur (1). Nil mirandum ideo, si Poggius, de illo poeta eximio loquendo quem Dante vocant, dicere ausus sit. « Cujus, exstat poema præclarum neque si litteris latinis constaret, ulla ex parte, poetis superioribus post ponendum (2). » Neminem præterea fugit, Dante ipsum, ali-

1. Cf. Burckardt, *La civilisation de l'Italie au temps de la Renaissance*, I, x.
2. Poggii opera, *De infelicitate principum.*

quandiu incertum quonam sermone uteretur, « Inferni » aliquod initium hexametribus scripsisse.

2. — Ciceronianismus.

Imo, Leone X regnante, nomen novum « Ciceronianismi » adepti sunt grammatistæ, ut istum animorum habitum depingerent. Hac quidem tempestate, non parvi momenti viri, sed jam laude magna fulgentes, visi sunt ut de Longolio fertur (1), multis annis sudasse in suis emendandis operibus, ita ut, ne unum quidem vocabulum aut dicendi genus superesset quod Tullium non saperet. Bembum magistrum elegerat Longolius qui, limæ labori non parcens, per quinque annos huic ingrato operi animum suum totum intendit. Illi vero, omnia ex sententia adeo successerunt, ut non ambiguum habuerit dicere : « più che il consolato, piu che il regno del summo Pontefice, io stimo l'essere et l'esser tenuto ciceroniano (2). »

Illorum æqualis Sannazarius, non potuit, quin iisdem usus esset moribus, mentemque suam omni opera intenderet ad succum puri latini sermonis exprimendum.

3. — Quo ductu « de Partu » poema inceptum fuerit.

Fama est, eum, quadam die, monachi cujusdam, Eugenii Viterbiensis nomine, contra impios oratione motum, consilium iniisse ut ingenii vires adhiberet ad B. Virginem maximis laudibus celebrandam. Monachus vero, ut tunc, divini sermonis præconibus mos erat, quodam Vergilii versu usus erat. Prolatio ista, quæ quidem in alienis rebus occupato, minime valuisset, ita Sannarium pupugit, ut quem Eclogiis suis jam imitatus erat, ad majora tendens, etiam heroico carmine æmulari voluerit (3).

4. — Ea tempestate, magni faciebant « epos ».

Etenim, iis quidem temporibus, nullus erat ex humani ingenii fetibus, quem poemate epico majorem facerent. Tullius enim, quæ vitam agendam cum privatam tum publicam contingunt,

1. *Un giudizio di Lesa Romanita sotto Leone X*. ch. v. D. Gnoli, Roma, 1891.
2. Id., ibid.
3. Cf. *Eleg.*, III, 2.

elegantiori modo facete dixerat, Vergilius autem, vere Italorum antiquorum mores descripserat, nec unus erat, rituum priscorum cupidus qui non eum maximi haberet. Adde quod, illius orationis genus, Tullii instar, omnium assentatione facile collaudabatur. Epos etiam, aliquod magnum præ se ferens, omnibus fere poeseos generibus, campum in quo exsultare possent patefaciebat; ideo, rerum gestarum scriptores et eloquentiæ assectatores et ii qui naturæ depingendæ studebant, pari studio et cura illi favebant.

Fuerunt idcirco multi qui, id genus assecuti sunt. Illos omnes nominare non quidem nostrum est; unum aut alterum adducere sufficiat, inter quos, primus eminet eximius ille Petrarcha, cui per omnes cordis aditus ire, eademque ingenii ubertate, lingua vernacula vel latina adhibenti, novos et veteres simul curru constrictos trahere, a diis concessum est. Ille ipse, *Africam* omnibus suis carminibus potius habebat, nec gloriam aliam appetebat, quam Vergilio similem vel secundum saltem judicari. *Theseidem*, cujus nomen vix apud peritissimos citatur, ediderat Boccacius; imo quidem extitit, Maffeo Vegio nomine, cui librum aliquem decimum tertium Œneidi addendum, scribendi alacritas fuit. Nunc, alia carmina quæ inscripserant *Sforziadem*, *Bogiadem*, *Laurentiadem*, silentio præterire liceat; in illis quidem, epicum genus quadam antiquitatis æmulatione affectantibus, nil aliud nisi laudationem inanem principum rerumque ab iis gestarum reperies. Scriptores enim, nova et vetera ad se convertebant et rapiebant pariter, studioque simili sacra vel communia more epico narrabant. Unus fuit, episcopali munere præstanter fungens, qui felicitate et facilitate eadem, Christi pueritiam et bombycum mutationes versibus mandavit. Per viam tritam et apertam progrediebatur ideo Sannazarius, cum, omnibus cogitatis, « de Partu Virginis » carmen, in animo pangere statuit.

5. — Quam arduum esset poema sacrum condere.

Rem vero sacram carmine epico narrare, unum erat quod, iis præsertim temporibus, scopulis plenum, quam maxima discrimina procrearet. Sancta enim pio quodam modo tractanda sunt, nec omnia licent in eis quæ de fide narrantur. Non is sum qui, Bolæo assentiens, christianam fidem omnino a scœna abhorrere dicam. Non defuerunt equidem multi, et nostræ etiam memoriæ, a quibus effatum illud absonum, præclare, fabulis eximiis et egregiis carminibus probatum est. Attamen, non adeo facile se

præbet iter cum in illa descendit poeta, quæ a sacris interpretibus enarrata fuerunt. Ne verbum quidem mutare, nec aliquid effingere illi licet quo, sanctarum paginarum intelligentia, ut Hieronymi effatum adhibeam, offendi possit. Ideo, fastidio vel odio erit, nisi arte quadam eximia mentes nostras alliciat simul ac christianam fidem intemeratam servet.

Illud autem, omni quidem tempore, hac tempestate qua vivebat Sannazarius, magis adeo necessarium erat. In Germania enim, tunc temporis, adversus fidem christianam antiquam multi grassabantur, quorum commenta non omnino Sannazarium præteribant, si quidem in quadam ex ejus epistolis legitur : « anchora insurgono novi prophete... e si è detto qui di non so che eremite carcerati e altri, heresiarche oltramontani, che comimiano ad improbare li portamenti et costumi della ecclesia (1). »

Jacobus noster, quamvis partium studiis nunquam divisus fuerit, suæque potestatis manserit semper, non potuit quin, necessitate coactus, curis assiduis jactaretur ne obliqua interpretatione quadam, carmen suum damnaretur (2). Ab inimicorum insectationibus malevorumque minus commodis sermonibus, aliquo modo se prohibuit, iis verbis quæ initium carminibus faciunt, Pontificemque maximum Clementem VII laudibus maximis extollunt, his quidem vocibus illum salutat poeta, tanquam

> Magne parens, custosque hominum, cui jus datur uni,
> Claudere cœlestes et reserare fores.

Illum ideo enixe deprecatur « occurrent si qua in suis male firma libellis » ut « deleat errores æqua litura », imperiis enim ejus illos submittit.

6. — De variis incommodis quibus impediretur Sannazarius.

Non defuere tamen, ut litteris a Nunziante nuperrime repertis constat, quibus, haud intemerata visa fuit Sannazarii fides. Istos vero magno contemptui habuit, nil enim sibi conscius, unum tantum suo amico Seripando asserebat, se quam potissime et quo strictiori modo, Evangelium quod quidem a Luca exaratum fuit, secutum esse. Fide quasi in tuto collocata, non omnino alia deleta erant incommoda quibus Sannazarius impediretur. Etenim,

1. E. Nunziante, *Un divorzio ai tempi di Leone X da XL lettere inedite di J. Sannazaro.* Roma, Pasqualucci, 1887.
2. Cf. *Lett. ined.*

illis neglectis, quæ dicendi genus scribendique laborem contingunt, quibus tamen, ut ab epistolis Sannazarii et iis præsertim a nobis relatis probatur, summum fastidium accepit poeta noster, hoc opus ille labor stabat semper, quanam ratione scilicet, Evangelium sacrum, epico carmine describeret.

7. — De apocryphis.

Primis quidem sæculis, quibus Christi fides in mundum ab apostolis pervulgata fuit, non carmine, sed opere valido et aspero famam quærebant, qui vestigia Christi erant secuti. Non iis otii spatium remanebat quibus, mors cruenta imminebat semper (1). Moribus vero pacatis persecutionumque tormentis sublatis, mox undique apparuere, quæ etsi carminum nomine designare non possum, multis tamen commentis animi, ab Evangelistis dicta fuse latiusquæ explicant. De vita publica Christi, altum quidem in istis servatur silentium, miracula vero pœne innumerabilia narrantur, quæ quidem Christus perfecit dum vitam ignotam in matris quasi gremio abditam ageret.

Illa, jam sæculo decimo quinto, doctus quidam Neander nomine, in Germania palam omnibus tradiderat. Non tamen adeo fuit illius recensio perfecta, quin alteram paucis annis elapsis dederit Fabricius, anno 1703, quæ inscribitur *Codex apocryphus Novi Testamenti*, quam etiam modo quodam perfectiori, doctus nostræ quidem memoriæ, Tischendorf amplificavit.

Mihi non in animo est illos « codices » explanare, qui quidem, ni fallor, non omnino Sannazarium fugerunt; non potui tamen quin de illis, aliquam saltem mentionem haberem. Etenim veris falsa vel commenticia remiscentur, et in illis multa inveniuntur animo et cogitatione ficta. Non adeo tamen, his temporibus, invaluerat ingenii facultas, ut poema, omnibus servatis quæ Homeri aut Vergilii usu quodam modo comprobata fuere, eximium et perfectum evaderet. Ab illis qui, apocryphi vulgo nominantur, non aliud ideo requirendum est quam narratio quædam horum quæ traditio vulgaverat, sed animi commentis fuse disputata.

1. « Dans les premiers moments, l'Évangile créait la foi, une foi active et puissante qui se satisfaisait par le martyre, et qui eut cru faire trop peu, si elle se fut contentée d'inspirer une littérature. Il y a des moments où la foi se refuse à la poésie comme à une sorte de frivolité et de faiblesse, elle l'anéantit, parce qu'elle la surpasse. » Saint-Marc Girardin, *Tableau de la Littérature française au* XVI^e *siècle.*

Quæ gessit Christus a teneris unguiculis, miracula quæ patravit, innumeraque momenta de Joseph, Anna, Joachim aut Virginis vita narrantur, oratione vero inquinata quæ nullo modo Tullium aut Vergilium sapit.

Illis tamen exceptis, quæ ab hæreseos fautoribus ad errores suos tuendos edita sunt, nescio quid ingenuum et poetice fictum in apocryphis Evangeliis reperitur, quod quidem haud fidei dogmatibus repugnans, imperitis summæ voluptati esse videatur.

Decurrente vero tempore, cum discendo mens hominum aleretur, mox adeo contemptui fuerunt, ut pœne de memoria exciderint. Non spernenda tamen reliquerant vestigia, quibus pictores fulti templorum parietes tabulis vestiverunt; magno etiam præsidio fuerunt tragœdiarum scriptoribus mœdio ævo degentibus. Adde quod Milto et Klopstock et Vida præsertim, de quo postea dicam, non contemnenda ab eis mutuati sunt.

Inter libros « apocryphos » et eos quibus non fides deneganda esset, discrimine facto, per multa sæcula, ne perturbatio induceretur nova, qui aliqua erant scribendi facultate præditi, cuidam animi reverentiæ obtemperantes omni carmine heroico abstinuerunt quo christiana religio illustraretur. Cæteroquin, etsi Christi erant fautores, non adeo priscam religionem exuerant poetæ, quin in eis quæ exarabant, aliquam saltem de ista mentionem facerent. Olympiaca numina ideo, simul ac Christum, carminibus suis tum, æquo fere animo, celebrabant. Ausonius vicissim Christum et Liberum iisdem carminibus honore prosequebatur. Frustra ideo, in his quidem temporibus, poema requires quo Christi fides laudata, doctorum et piorum assensu funditus probaretur.

8. — De poesi sacra apud Roswitham et Gersonium.

Qui vero « mediævistæ » vulgo dicuntur, aliquo dicendi genere utentes, non quidem antiquitatis florem redolente sed omnibus fidei ardoribus accenso, carmina plura edidere quibus Christi laudes, quas nullus, facile, tunc respuebat, modo epico cecinerunt. Inter illos, in primis Roswitha, haud parvæ memoriæ mulier, nominanda est. Liberaliter educata, Terentii comœdias transtulerat, easque non lectione solummodo, sed apparatu scenico etiam, in monasterio cui prœerat vulgandas esse curaverat, operamque impenderat ut carmen de Nativitate Virginis et de Nativitate Christi conderet. Frustra vero orationis flumen purum et

integrum in illis perquires, non ita erant enim hominum ingenia optimarum artium studiis erudita, ut non plura essent quæ merito reprehendere posses. Fluunt tamen, etsi lutulenta, magno enim animi ardore eximiaque ingenuitate perfunduntur; ideo, quamvis oblivioni Vergilianæ rationes datæ sint, non possunt quin aliquod saltem gaudium ex iis accipiant qui non orationis integritatis duntaxat cupidi sententias etiam vocibus subjectas scrutantur.

Gersonius etiam quoddam carmen edidit quod *Josephina* inscribitur. Fusius in eo genus est orationis, cuncta vero translatione continua fœdantur. Miraculorum a Christo peractorum commemoratio, non equidem ad fidem augendam tantum, in Gersonii carmine editur, sed declamatione quadam amplificatur, præsentiaque tunc temporis gesta, vetustis dictis assimulata esse videntur. Adde, quod ex explanatione theologica, sæpe carminis ordini mora et impedimentum afferuntur. Apocryphi codices magnæ utilitati scriptori fuerunt, narratio vero scholasticorum apparatu deducta, nisi fide ardenti quasi fulciretur, cujusdam tarditatis notam facile incurreret. Affabulationibus quæ, hac tempestate, undique litteras occupaverant, ni fallor, haud absonum esset Gersonii carmen comparare. Utriusque enim, eadem ferme translatio continua idem appetit, hominum mentes ad superiora erigere, animosque fidei et religionis sententiis perfundere.

Carmina idcirco de quibus agitur, potius præceptivi sermonis disciplinam quam epici generis imitantur; omnia ideo adhuc fere impervia erant, cum Sannazarius res divinas carmine dicere aggressus est. Roswitham autem et Gersonium omnino omisit, atque ad Vergilium tantummodo intendens animum, pro virili parte, illius « molle et facetum » orationis genus, similitudine summa expressit.

9. — Quantum laboris insumpserit Sannazarius.

Non paucis annis, ut jam antea dixi, sudavit et alsit, nullique labori limæ pepercit ut opus suum perfectum « humanistarumque » laude dignum prodiret. Non a Puderico duntaxat, sed a cardinali Seripando, inter hujus temporis doctos, viro eximio, judicis argutum acumen reprehensionemque multoties poposcit. Imo, si cuidam ex ejus litteris fides adhibenda est, in eo erat si jussissent, ut carmen suum penitus delevisset : « ad ogni modo, o boni o cattivi che siano li versi mei, ne havemmo tanti, che

senza questi potriamo fare (1). » Suis carminibus sæpe diffidere cœpit, et animo fracto, non potuit quin quadam die diceret : « con tutto che tre o quattro anni non ho fatto altro che radere e cassare tre o quatre volte una cosa, che forse haria fatto meglio in consummare tempo in altro o stare ad piscare agli mei scogli (2). »

10. — Quid de Partu senserit Leo X, summus pontifex.

In eadem sententia non descendebat equidem Leo X, pontifex maximus, qui Sannazariana carmina singulari studio exspectans poetam certiorem fieri jussit, illius opera « nullo non tempore futura esse acceptissima, hac præcipue tempestate fore longe gratiora, quo quidem, quo doctiores videantûr, Ecclesiam stylo iniquo petant (3) ». Etenim, ut ejusdem verba afferam, persuasi sumus inquiebat : « quod divina factum est Providentia, ut divina Sponsa tot impiis oppugnatoribus, laceratoribusque lacessita, talem, tantumque nacta sit propugnatorem, et cum illi impia facundia abusi frangant in rem sacram genuinum, tu unus, Opus edideris, quo rem sacram omnibus, ut dici solet, nervis attollendam, excolendamque procuraveris sancto consilio, eventu feliciore, cum dictitent, qui legere, si rem quæramus, nihil nisi Christum atque ejus sponsum sonare; si pietatem, undique religionis enitere studium : si judicium, nihil ungue signandum relinquere; si figuras artisque conatus, veterum vatum nulli cedere, multos anteire, gratulamur itaque tibi, quod tantum unus præstes, quantum antea nemo. »

An nimis eximiis laudibus Sannazarium ornaverit pontifex, postea dicam; nunc liceat mihi, ut Jacobi nostri ingenium appareat, illius de « Partu Virginis » carmen per partes, membratimque, sed qua brevitate potero, dispergere.

11. — Consilium quod habuerit scribendo.

Tribus libris, poema conscriptum est, quod autem in mente, exarando, consilium habuerit, nos ipse Sannazarius docet :

1. Cf. Nunziante, *op. cit.*, 23 mart 1520.
2. Id., ibid.
3. *Epist. ad San.*

Virginei partús, magnoque æqueva parenti
Progenies

quæ quidem

Antiquam generis labem mortalibus ægris
Abluit (1),

hoc opus, hic labor illi fuerunt dicere.

His dictis, Musam « vatum decus », more antiquo, enixe deprecatur, quam quidem « Virginitas, sanctaque juvat reverentia famæ », ut viam monstret qua nubila vincat. Auxilium quoque, ab illa diva Virgine petit, quam singulari colebat honore; etenim solemnia templis serta quotannis dabat, illique mansuras posuerat aras in excelso Mergilline culmine; ab illa rogat, ut, « vatem ignarum viæ, insuetumque laboris » ducat, et læta cœptis afferat.

Magnum enim aggreditur opus, quæ Pater scilicet « æterno succensus amore » pectore cogitaverit, quanam ratione etiam, hominibus, parentum prisca commissa luentibus, auxilium dederit, palam enarrare. Illa fultus audendi potestate quæ pictoribus semper atque poetis æqua fuit, sidera transcendens, cœlum aperit, nosque divina consilia docet, quibus definitum est ut quæ « Fœmina principium, lacrymasque et funera terris » intulerit, nunc ipsa auxilium ferat.

12. — Quanti sit pretii Sannazarii opus.

De præstantibus ideo agitur, et longo intervallo, Achilleidis iræ et Romæ fatorum scriptorem egregium antecedit Sannazarius. Etenim isti, magno ore fateor, quæ morti sunt obnoxia narrant, ille vero quæ ævum omnium sæculorum consecutura sunt explicat; eum idcirco audiamus humano studio, nam Homericis et Vergilianis versibus, aures quidem eleganter permulcentur; quid autem ad res nostras refert, id quod apud eos dicitur? parvi momenti non unus est qui illud evadere non asserat. De Sannazarianis autem versibus, non ita; nam, velimus nolimus non nostrum est despectui naturæ hominum arcana habere, cum præsertim nobis immineant semper, et uno stulto excepto, nemini, unde veniat aut quo vadat ignorare liceat. Nos illud Sannazarius docet, dum consilia secreta pandit, animumque Dei, « genus e Stygiis mortale tenebris eripere » exoptantis, « sævosque arcere labores » in vulgum effert.

1. *De Partu*, lib. I.

13. — Annunciatio describitur.

Deo jubente, ad Virginem electam quæ, « ferret pios sine semine partus » progreditur unus « pars militiæ fortissima » cœli. Ille, carpit iter, nebulas scindit, et tugurium quo Virgo Regia inhabitat intrans, eam adspicit cui veteres de more sybillæ tunc in manibus erant. Angeli conspectu « stupuit confestim exterrita Virgo » illiusque tremor, eximio quodam depingendi genere, a poeta describitur. Tum « rutilus cœli alipotens », lactea fandi copia, Virgini enarrat magna illius per orbem incrementa quem paritura est, cui, « nec sceptri jam finis erit, nec terminus ævi. » Virgo autem :

> partus futuros
> Sancte, refers? mene attactus perferre viriles
> Posse putas? cui nitenti matris ab alvo
> Protinus inconcussum et ineluctabile votum
> Virginitas una fuit.

Illi reluctanti, Angelus, mirabiliter facienda, quodam jam peracto miraculo probare conatur, mulierisque meminit avito sanguine illi junctæ quæ, licet gravi pressa ævo, sterilisque « haud quaquam speratum hoc tempore pignus, fert utero »,

> Usque adeo magno nil non superabile cœlo est!

His dictis, ne alterum quidem Virgo renutum profert sed oculos ad sidera tollit, et tales emitit pectore voces :

> Jam jam vince fides, vince obsequiosa voluntas,
> En adsum!

Dixerat ; et subito, succutitur tellus, lævumque sereno fulmen intonuit cœlo, Deus descendit, cui summa rerum potestas, « dat sese, miscetque utero ». Poetæ nostri versus non attingo, ne multus esse videar, nulli tamen istis, forma nitidiores, audiri mihi videor, nec theologus quidam, nec recte loquendi exactor asper illi quamlibet posset inurere notam ; dum enim, miraculum sic exponitur quasi agatur res, orationis elegantia fidei requisita nullo modo refragatur. Omne tulit punctum equidem qui, talia potuit feliciter exprimere, nec amplius arroganter quærendum, cur iste « Vergilianus christianus » dici meruerit.

14. — Davidis vaticinatio.

> Interea manes descendit Fama sub imos,
> Pallentesque domos, veris rumoribus implet,

diem optatam adventare, qua e carcere liberati ad supremum cœlum ascendent. Tum David, cithara decorus, sceptro insignis, cui omnia in conspectum venerunt, consueto numine plenus, venientia fata recenset. Quæcumque gessit Christus, et passus est dum vitam in terris ageret, magnifice et expedita oratione dicit. Matres vidit etiam, in sinu pueros suos abscondentes, cum illos insano ferro petit ferox miles cui non « scelus est partus jugulare recentes ». Virginem comitatur dum per urbem et vicos suum perquirit natum qui ante aras patris et delubra sedens, se ultro quærentibus offert. Vates autem ipse se vincit, furorem narrando mentemque hominum cæcam quæ « semper odiis adcincta nefandis », eo progreditur, ut humanæ vitæ duci regique Deoque etiam, mortem et crudele supplicium minetur.

Niobem, carmine suo orationisque genere fuso expresserat Ovidius, facile tamen ni fallor, primum locum obtinet poeta noster dum effingit Christi matrem quæ

> ..... non jam mater, sed flentis, et orbæ
> Infelix simulacrum, ægra ac sine viribus umbra,
> Ante crucem demissa genas, effusa capillum
> Stat lacrymans, tristique irrorat pectora fletu (1).

Non facile tamen quemquam dixerim plus gloriæ adhibuisse si venæ suæ non indulgens, verba nimis fusa cohibuisset quæ pectore mœsto, magni loquentia quadam, Christi mater effudit. Quædam enim silentio præterire decet.

Oratione etiam altius exaggerata, Tartarei terror depingitur quo, horrentia monstra trepidant, dum Christus caligantia atria pandit. Non possumus autem Sannazario non suffragari, optimo quidem dicendi genere, currum triumphalem exprimenti, et « signa per extentos cœli victricia campos » tollenti.

Bona tamen lectoris venia, libenter, poetam arguam, quod Cerberum caudam exulantem sub ventre, eamque recondentem atram exhibuerit, ni eadem descriptio, a Dante, primo amplissimis etiam verbis facta, in mentem venerit. Melius ideo sit, San-

1. *De Partu*, I, 333.

nazario duce, librum primum absolvere, illiusque commentum mirari quo, magna ingenii celeritate, finguntur quæ

> Vaga Sisyphiis hæserunt saxa lacertis.

15. — Lib. II : Visitatio.

Itinere Virginis proficiscentis ut suam visitet consobrinam « matronam defessam ævo, jam segnibus annis fecundam », liber secundus incipit. Non nostrum est varios colores depingere quibus, vel nullius studiosa paratus, Virgo eximia, qualis stella nitet « aut matutina resurgens aurora ». Omnia lætantur dum graditur; cœlum tepentibus auris Zephyri « mulcent, quaque datur, gradientem voce salutant ». Simul ac sedem attigit virgo, illi obviam, longæva conjux justi senis occurrit, divinitusque, fatidico quodam carmine, laudes illius prædicat quæ « cœlestibus sola humanum digna reperta est conciliare genus », fœmineosque cætus ad astra tollere. Ista vero, demisse, « miranda alti facta Tonantis » memorans, fidem solam pro suo vindicat, sanctumque Dei per sæcula nomen celebrat, quod quidem

> Insanos longe fastus, mentesque superbas
> Dispulit, afflixitque super : solioque potentes
> Deturbans dedit in præceps, et ad ima repressit (1).

Tunc senior, cui, ob suspicionem, nullus vocis ademptæ usus erat, supplex, solo nutu gaudia testatur, priorumque scripta vatum, Virginis insolitos conceptus adumbrantia, manu ostendit. Illa vero,

> Seque rubum, virgamque, alto se denique missam
> Sidus grande mari prorsum agnoscitque, videtque (2),

non ausa tamen loqui, aut tanto munere se dicere dignam, gratias tacito affectu agit, mentemque ad sidera tollit.

Tribus vero elapsis mensibus, reditum in patriam Virgo parat, viamque relegit per nota locorum.

16. — Orbis Terrarum censetur.

His ferme temporibus, censum agere per omnes imperii partes, jusserat Augustus. Jam anno ab U. C. 726 lustrum quoddam

1. *De Partu*, II, 62.
2. Id., ibid., 93.

indictum fuerat, non omnes vero imperii partes isto adstrictæ fuerant, Judæaque omnino fuerat omissa. Non ita anno 746, censor enim, his regionibus, consularis S. Cyrinus creatus fuit, cui non sine magno negotio omnia contigere. Etenim, multi aderant e Pharisæorum turma, fere sex millia, si D. Halicarnassio fidem adhibeam, quibus, honorem et reverentiam Augusto præstare, nefarium esse videbatur. Tributim ideo census solummodo actus fuit, ita ut gentis ordo statueretur tantum, non autem prædiis, pecuniarum summæ discriberentur. Romanis vero cum mos esset, et feminas etiam censere, non potuit Virgo, quamvis utero gravis, et hieme, iter arduum non agere ut in sedes suas reverteretur.

Sannazarium, partes imperii describentem, non persequar, etsi optimo dicendi genere fecit, gentiumque varios mores modo mirabili depinxit. Virginis potius gressu insistens, illam, domum antiquam et regnata patribus arva invisentem, comitabor.

Quam perturbato fuerint animo, cum Maria et Joseph illius uxor, e tumulo quem ascenderant, muros ac domorum tecta prospexerint terræquæ patriæ mœnia agnoverint, nos ipse Sannazarius docet, orationem referendo, qua Bethlemias turres magnosque olim Penates, Joseph alloquitur. Adde quod iste, sic fatis ora resolvens, illam potentem rerum terrarumque inclytam Romam, septemgeminos submittentem ad oscula montes, apertis verbis nuntiat (1).

His dictis, viam suam maturant, et visas ad oras gressum moliuntur. Undique ingens turba confluxerat, nec jam tecto supererat locus, tunc Joseph : « ibimus inquit quo Deus, et quo sancta vocant oracula patrum (2). »

17. — Christi nativitas.

Ad quoddam specus progrediuntur ideo, genio potentis naturæ formatum, ut hospitio cœlum acciperet. Huc ambo deveniunt, Deo ducente, multaque jam nocte, se recipiunt.

Nunc, ut Sannazarii verba referam,

> ..... stat ferre pedem, qua nulla priorum
> Obvia sint oculis vatum vestigia (3).

1. *De Partu*, II, 261.
2. Id., ibid., 283.
3. Id., ibid., 307.

Etenim, nunc sunt narranda, quæ nunquam castaliis sub antris audita sunt, quæ nec humana mente concipere fas erat.

Tempus aderat, quo nox, nondum ad mediam Olympi metam pervenit, et fessa labore placidos mortalia pectora somnos accipiunt. Nitor ex alto novus emicat, umbramque discutit, superum chori et citharas pulsantium audiuntur. Sonitum agnovit Virgo, partusque instare haud dubiis signis sentit. Tunc suum venturum filium prece quadam deprecatur « ne qua pio jactura pudori obrepat ».

Dixerat.

> Mira fides! puer æthereas jam lucis in auras
> Prodierat (1).

Nullosque inter præcordia motus, aut devexi ponderis incursantes ictus alma mater senserat, hærebant enim immotis viscera claustris.

Molestum est vero, quod poeta noster nimis hujus temporis ingeniis indulgens, vetustis poetarum commenticiis præsentia assimilaverit, fabulasque omnes recensuerit in quibus asellus quondam, actoris partes defenderat. Ni fallor, non erat his locus.

Descriptionibus istis pluris verba faciam quæ, Joseph attonitus, at subito numinis haustu correptus, ad puerum divinum illiusque victorias celebrandos, ore trahit. Etenim, magnos petentes antra populos purpuratosque reges undique videt, et per orbem, omnibus compositis, res tranquilliores agi et « longa perpetuis indici orgia fastis ».

18. — Lib. III : De Concilio in cœlis convocato.

Carminis epici more, quoddam concilium in cœlis convocatum, nobis a poeta narratur. « Bipatentis quidem Olympi genitor », ad sese omnes jubet acciri superos, quibus domos diversas statuerat, dignosque meritis tribuerat penates. Celerant jussi, ipseque Deus sedens, « humeris chlamydem fulgentibus aptat ingentem ».

Quam descriptionem de clypeo scripserat Homerus, quam de eodem Vergilius fecerat, illa nobis, de chlamyde a Sannazario depingitur. Fit vero minoris pretii. Dum enim, Homero canente,

1. *De Partu*, II, 366.

belli pacisque artes vicissim prodeunt, Vergilioque recitante, quasi in tabellis collocata, Romanorum fata « pugnataque in ordine bella (1) » exhibentur, paucis tantum versibus, quædam a supremo conditore in origine mundi creata, a Sannazario adumbrantur. Illud quidem, solito eximio dicendi genere, effecit poeta noster, opus autem non impendit, ut qua dignum erat copia, quod depingendum incœperat tractaret.

Postquam aligeros sædilia cœtus accepere, eos alloquitur rector rerum omnipotens. Ausus infandos memorat, quibus, quadam vesana superbia moti, cœlestia quondam rebelles angeli aggressi sunt. Impudentiæ quidem, mox pœnis acerbissimis solutæ et illorum etiam querelarum meminit, quibus strepuit cœlum, cum « prima novas egit dementia gentes » vetita carpere poma « gravi seros gustu læsura nepotes (2) ». Haud silentio clementiam præterit, quæ indomitas vicit iras, magnumque tandem, in medium, miraculum profert

quo terræque, polusque, homines divique vicissim (3),

fœderibus starent certis ; æterni quidem amoris pignus.

Lustrent ideo beatam sedem, cunctique submissi, cunas sanctas accedant, plausuque celebrent

omnia felicem ventura in sæculo pacem,

victumque anguis furiale venenum cunctis nuntiant (4).

Hæc ubi dicta, scelerum obliti, terrarum studio flagrant et erga homines propitia voluntate fiunt.

Stupendum vero miraculum, homines, etiam nunc fallit, ad eos docendos, lætitiam advocat Deus (5). Nobis liceat, non illa promere verba, quibus istam oculis subjicit Sannazarius noster.

Mos quidem, fateor, tunc poetis erat, ejusmodi muta quædam loquentia inducendi; non ab isto veteres abstinuerant. Quod vero in illis non absonum erat, a scriptoribus nostri quidem temporis usurpatum, nescio quid insulsum et tædio plenum ne molestum dicam, haud dubio, præ se fert. Odiosa sunt etiam, ni fallor, etsi jucundæ visu illarum facies a poeta sunt descriptæ, Gaudia, Plausus, Chori, quæ mox inculpata voluptas sequitur et

1. *Œneide*, VIII, 624.
2. *De Partu*, III, 54.
3. Id., ibid., 68.
4. Id., ibid., 84.
5. Id., ibid., 93.

niveam suadens Concordia pacem. Etenim, inanium verborum flumen et speciosiora sunt quam veriora, expectationemque nostram fere decipiunt nedum eam expleant.

19. — Lætitia et Concordia legatione fungentes in terram mittuntur.

Istis ideo silentio præteritis, sermonem audiamus quo pastores, a Lætitia, jucundum nuntium accipiunt, et etiam rogantur ut properantes « novi tepentia lactis munera, insuetumque silvis carmen parent, positumque in stramine regem adeant (1) ».

Attoniti pastores, inter sese, vario sermone volutant, quid superum mandata velint. In ista cunctatione tamen, variis innectunt tempora ramis, moxque silvam omnem exquirunt. Speluncam tandem adspiciunt, longisque illius limina sertis advelant, dona ferunt, matremque simul ore læto salutant. Tunc unus inter illos, Lycidas, qui « æquoreas carmen deflexit ad undas, « Rustica septena modulatur carmina canna (2) ».

Carmen ab illo editum, in Vergilianis Eclogiis jam invenitur (3), multique etiam fuere quibus dum « magnum Jovis incrementum verbis suis Vergilius celebrat instinctu quodam divino agi visus est, in quorum sententiam descendit Sannazarius noster qui, Vergilianum carmen, ad verbum, Lycidæ tribuit. Non est ideo cur in istis immoremur, ipsa quidem « sonant arbusta, Deus, Deus ille (4) ».

20. — Angelorum cantus.

Hæc dicta Lycidas dederat, dum voces in cœlis procul, rotarumque sonitus audiuntur : angeli quidem, ternis instructi agminibus, latas per cœli vias progrediuntur, manu gestantes « nostræ argumenta salutis », et dulci mulcent æthera cantu (5). Facta Parentis canunt, ut prima novi fundaverit orbis mœnia et, passim, varios cœlo suspenderit ignes ; illius etiam, cui late humanum genus servit, omnipotentiam celebrant, amoremque eximium laudibus extollunt quem, nec hominum fraudes nec illo-

1. *De Partu*, III, 140.
2. Id., ibid., III, 196.
3. Cf. *Egl.*, IV.
4. *De Partu*, III, 236.
5. Id., ibid., 251.

rum nefanda crimina, avertere potuerunt. Nubesque plausum ingeminant.

21. — Jordanis Vaticinatio.

Sannazarius deinceps, pro consuetudine sua, fabulis antiquis disciplinam novam adspergit, Jordanisque flumen, cujusdam loquentis personam agens, in poema suum inducit. Jordanes quidem, tum forte « Venturas tacito volvebat pectore sortes (1) » et nymphis undique circumstantibus, antro medius, acclivis in urna, fundebat aquas. Novis variata figuris nitebat urna, egregium decus, et donum superum mirabile. Dum vero cœlata spectat in urna, insolitos videt erumpere fontes, et spumantibus fluctibus, antra repleri. Pavore quodam perculsus, hæsitansque simul, lætos cantus divinasque voces audit; Deum advenisse testantia. Protinus, ambas :

> Ad cœlum palmas hilaris cum voce tetendit.
> Ipse mihi hæc quondam, memini, dum talia mecum
> Sæpe agitat, repetitque volens, narrare solebat
> Cærulens Proteus (2).

Tunc, et continuo, Protei carmen referendo, omnia a Christo gerenda commemorat, multa quidem fide majora sed vera tamen, et ab Evangelistis enarrata miracula, eximio dicendi genere, Sannazarius explicat. Non est cur aliqua ex eis eligamus, cuncta enim exempli causa ponenda essent, si modum eximium laudare velim quo poeta noster, difficilia quidem dictu, suis carminibus fundit. Etenim, ad fidem historiæ, Christi vitam narrat, ne unum quidem ab illo factum silentio præterit, sed omnia miracula recenset. De morte Christi, altum servat silentium, non nobis vero illud mirum est, illam enim quodam modo adumbraverat cum Davidis fatidicum carmen retulerat et « nostræ argumenta salutis » translatis verbis numeraverat. Lamentationes etiam scripserat quibus pios animi sui affectus largo quodam dicendi genere profuderat.

Libenter ideo, verbis Sannazarii utens, dicam « partus tentasse verendos sit satis (3) ». Non nobis tamen idcirco, ad Neptunia littora optatam umbram carpere, nec fronde coronam nectere fas erit; opus enim nondum exegimus.

1. *De Partu*, III, 283.
2. Id., ibid., 330, 336.
3. Id., ibid., III, 505.

22. — Vida.

Dum Sannazarius ingenii sui viribus contendebat ut mysterium divinum de nativitate Christi conderet, Vida, Albanensis episcopus, rem eamdem suis versibus tractabat. Non possumus ideo quin illius opus cum Sannazariano conferamus.

Etenim, Vida, haud quidem minimi pretii poeta, magnis vero laudibus dignus, non tantummodo bombycum mutationes aut latrunculorum casus enarravit, artem vero poeticam edidit, quam magni, in Anglia doctus Pope, faciebat, et apud Germanos, Hessus, non spernendis quidem commentariis, in gymnasiis legebat. Poema condidit etiam quod *Christiades* inscribitur, atque Christi vitam more epico singillatim exsequitur.

Non laudes cunctas afferre possumus, quibus Vida ornatus fuit, unam tamen et alteram sumere liceat, quibus constat quanti eum fecerint cum illi qui, ea tempestate, tum ei qui postea vixerunt.

Ariostæus eloquentiam laudavit Albanensis episcopi quem in vensibus vocat :

..... Il Vida Cremonese
D'alta facondia inessicabil vena.

Tassius non solum imitatus est, sed etiam ad verbum, plurima ex carminibus sacris a Vida editis, summa cum reverentia transtulit.

Inter Germanos, unum tantum afferam qui modo quodam eximio, his versibus *Christiadeos* poetam celebravit :

Materia priscos superavit et arte poetas
Vida, canens fidei carmina plena sacræ.
Cæsaris est vates Maro, Vida sed esse Jehovæ
Et Christi vates maluit esse sui (1).

J. Scaligeri effatum ne unum quidem fugit quo asseritur « illum nugas agere qui de Vida aliter sentiet quam de summo ac perfectissimo poeta ».

Non est vero cur in iis longius immoremur, cum Leo X haud cunctatus sit, aliquibus verbis tantum mutatis, quæ de Vergilio jam Propertius dixerat, in Vidam transferre :

1. Cf. *La Christiade de Vida*, trad. par de Latour, préface, n° 11.

Cedite Romani scriptores, cedite graii,
Haud scio quid majus nascitur Eneide.

Idcirco *Christiadem* cum *de partu* poemate conferre, in iis saltem quæ similitudine quadam conjunguntur, ni fallor, non fastidiosum opus esse videtur. Quædam adducenda sunt ideo, ex istis quæ eodem argumento consentiunt.

23. — De Sannazarii et Vidæ comparatione.

More quodam, jam ab Horatio laudato, in medias res, Vida descendit, vitamque publicam Christi narrat, initium ducens a die quo duodecim apostoli a magistro fuerunt electi. Ea vero quæ Christi pueritiam vel adolescentiam contingunt, a Joseph, oratorio modo concinuntur, dum ante tribunal Pilati causam Christi jam damnati, magnis contentionibus agit.

Albanensis episcopus, fusius narrat quæ constrictioribus verbis Sannazarius dixerat; in versibus ejus autem, nescio quid pietate et reverentia plenum invenies quo Sannazariana verba indigent. Nimis multus essem si cuncta, poetica laude digna, transferre vellem, ne unum quidem enim argumentum est a Sannazario evolutum, quod non denuo Albanensis explicet.

Maria, angeli mandatis parens, apud Sannazarium multis verbis obsequiosam suam volontatem declarat, nec potest quin descriptione quadam « aligerum cœli haud variantis alumnum » exprimat, quod quidem, duobus tantum versibus apud Albanensem dicitur :

Quisquis es, o cœli juvenum pulcherrime præpes
Obsequor; ac votis, quod rex jubet, omnibus opto (1).

Conceptionis autem miraculum, a Sannazario duobus versibus contractum, fusius ab Vida narratur, genere dicendi omnibus poeticis floribus ornato. Ni fallor tamen, mens nostra omnino perstringitur dum Sannazarium dicentem audit :

..... Vigor actus ab alto
Irradians, Vigor omnipotens, vigor omnia complens
Descendit, Deus ille, Deus; totosque per artus
Dat sese, miscetque utero (2).

1. *Christ.*, III, 37.
2. *De Partu*, I, 90.

Vida autem, illa facundia præditus, quam jure quidem merito, Saint-Marc Girardin, vehementer improbavit (1), hæc eadem, fusius, versibus multis evolvit.

Hanc simul omnipotens Genitor perflavit ab alto;
Continuo ruit, ecce, voluta liquentibus astris
Aura potens, quaque illa venit, procul undique circum
Scintillæ absiliunt radiis vibrantibus aureæ.
Turbine corripior rapido, visque illa per omnes
Auraï vis omnipotens mihi diditur artus,
Æthereusque vigor toto se corpore miscet;
Visaque prædulci mihi corda liquescere amore (2).

Existimatione eadem fultus, meo saltem judicio, non a vero multum aberraret qui Sannazarium, Albanense pluris haberet in descriptione Tartari, tremore pavidi, dum pallentes domos rumoribus suis fama implet, diemque optatum illos adventare docet. Plusquam nonaginta versibus, apud Vidam descriptio concluditur (3), in ista enim, omnia edocet ordine, in partesque divisa, diligenter considerat, ne illa quidem omissa sententia, qua quasi in tabellis bene collocati, nobis ostenduntur « in mediis divum penetralibus » hostes qui, imas

Conjiciunt sese in latebras, linguaque remulcent
Commissas utero caudas, stratique tremendum
Nequicquam umbrosis in spelæis ulularunt (4).

Ista nimis fusius a Vida dilatata, vix octo versibus Sannazarius premit (5), quibus « Tergimini canis immanem ululatum » audimus, quin corporis illius horrendas jactationes videamus.

Vena quadam uberiore præditus, Vida, translationibus multis semper utitur, nec collationibus abstinens, fuse latiusque sententias suas amplificat. Apud eum, medium quoddam dicendi genus invenitur quo, Evangelii mysteria summa cum pietate explanantur, atque ut animarum documentum sint, cunctis submittuntur, nihil autem nervorum habet quibus Sannazarius abundat.

Hymnos etiam cecinerunt uterque, metro saphico Sannazarius utens, heroicis vero carminibus Vida. Ille enim, pastoralis sui

1. Cf. *Revue des Deux Mondes*, avril 1850.
2. *Christ.*, III, 381.
3. Id., ibid., VI, 200.
4. Id., ibid., 225.
5. *De Partu*, I, 225.

officii memor, animi tantum ac voluptatis causa non suos versus condidit, majoribus vero allectus, in mente habebat ut suos edoceret subditos, ideoque præceptivo sermone quæ de Deo, Trinitate, Eucharistia et Virgine Maria fide credenda erant explanat. Theologiæ peritus quidam, Albanensis carmina, tuto pede percurrere potest, nullum enim inveniet quod legitime refragari liceat. Idem, ni fallor, de hymnis in honorem sancti Nazarii a Syncero pactis, dici potest. Plus autem isti, pressius et angustius animi sensus promunt quam ut mentem edoceant, longe vero præstant in eo quod cantibus adjuvari possunt, quod quidem pro Albanensis versibus impossibile esse videtur.

Ut uno verbo quod de utroque sentio dicam, Sannazarius, meo saltem judicio, primatum obtinet, Albanensem autem episcopum despectui habere non equidem injustum sed plane absonum foret. Vergilii enim gressibus insistentes utrique, eodem ingenio Evangelii mysteria, in medium, eximiis protulerunt carminibus, unus quidem fusius, quod alter constrictius dixerat, explanando, sed digni ambo qui legantur.

24. — Fortunatus.

Fortunati poema *de Partu Virginis* non nos equidem fugit, illud tamen silentio prætermittam. Alternis enim versibus conditum, non quidem omnino verborum lenitate caret, sed frustra apud Fortunatum dicendi genus profluens atque canorum requires, non tamen horridum est, sed plus longius a Sannazarii et Vidæ lenitate abest quam ut in illo diutius immoremur.

25. — De Carminibus sacris, ea tempestate editis.

Vidæ et Sannazarii carminibus sacris omissis, multa alia sacra, iis ferme temporibus edita fuere. Etenim Pontanus nonnulla cecinit quæ *odi divine* inscripsit. H. Strozzi, eadem facili vena Virginem Mariam, Deum, sanctorumque agmina versibus suis celebravit. Studiis iisdem Navagero, et Nicolaus d'Arco incubuerunt, Laurentiusque Gambara, a quo, genere epico *Columbiadem* accepimus, multa sacra carmina pepigit, quem Fumani et Belmesseri secuti sunt. Imo, si ab. E. Costa (1) dictum referre

1. Cf. *Antologia della lirica latina in Italia nei secoli* XV *e* XVI. Emilio Costa. *Proœmium.*

licet : « se il numero delle liriche religiose che un' epoca produsse, bastasse a dar la misura della fede in quest' epoca, il rinascimento parrebbe davvero l'età del misticismo. » Non ita vero se res gessisse neminem fugit. Apud poetas enim quos supra memoravi, non illa fides invenitur qua Joannis da Todi carmina perfunduntur. Eximio quidem dicendi genere utuntur, imo non eos lyricorum scientia fallit, ethnici tamen, potiusquam Christi crucifixi sectatores, non illi sunt qui, vitæ gaudiis spretis, ad superiora tendant et de suis commodis detrahant, cunctis enim, unum tantum erat « fallere diem » ; mors quidem « mediis venit atra jocis (1) ». Lautas ideo epulas quibus Venus et Liber aderant, quam plurimum celebrantes, conscientiam premebant, spretisque Christi mandatis, etsi fidem christianam non exuerant eam tamen ne flocci quidem faciebant. Pectus est vero quod disertos facit, nil mirandum ideo, ab illis qui tunc vivebant, inania tantum verba prolata fuisse ; fidei enim ardoribus destituti formæque venustatum studiosi, unum æmulabantur, pulchri species versibus suis effingere nedum moribus suis illas redderent. Illud quidem non illi sumus qui despectui demus, magni tamen pretii forent qui tunc temporis sacra carmina cecinere, si puram et integram poesim qua Evangelium exundat, ethnicis vel minus pudicis cogitationibus non fœdassent. Inhumane, fateor, non vituperandi sunt, libenter tamen Finzio sententiam quamdam assentiar : « Sottrati all' influenza mortificante dell' ascetismo medievale e trovatisi innanzi il mondo classico sfolgorante di bellezza e riboccante di vita non è a meravigliare, se gli umanisti si gettarono spirito e corpo in braccio alla voluttà. Il senso morale e il sentimento della famiglia ne furono assai affievoliti, e una profunda corruzione invase a poco a poco e dissolvete tutti gli ordini sociali. Di qui, l'oscenità smodata e la troppo facil morale onde sono lordi molti dei migliori scrittori di quel secolo (2). »

Inter istos, tamen, Syncerus, in primis, fidei luminibus splendet, nec is est cui buccas inflare liceat, si quidem vitæ tantum gaudia prælibavit ne ille penitus absumeret. Imo, ut Belisarii Neritanorum ducis, verbis utar, ad fidei radices quæ in illo hæserint posteris probandas, « perfecit opera atque labore ut divinis carminibus suis, Partus Virginis celebraretur. Quibus sane speciem illam Vergilianæ compositionis et elegantiæ, qui docti sunt

1. Cf. *Epigr.*, Sann., I, 3.
2. Cf. G. Finzi, *Lezioni di Stor. dell Lett. Ital.*, II, lec. 2ª.

viri cognoscerent. » Nihil deinceps ab illo prætermissum est, quod sanctæ litteræ explicant quin candidissimis suis carminibus singillatim scriberet. « Nam Illius cuncta nutu moventis Dei legationem ad Virginem; demissi Angeli per aera volatum; conceptum sine labe puerum; Virginis partum; pastorum exsultantium cantus; Regum adventum ad puerum cum muneribus adorandum; ipsius denique Dei et hominis vitam, crucem, mortem, ita candide, ita ornate scripsit, ut nihil ornatius, nihil candidius, nihil religiosius scribi ab homine potuisset (1). »

26. — De iis quæ Sannazario objici possent.

Multi fuere tamen qui, Sannazarium in hoc reprehenderunt, quod, de sanctis loquendo, non venerabundus semper, inconsiderate, delicta quædam in se admiserit. Erasmus quidem in diverbio qui *Ciceronianus* inscribitur vitium quoddam verbis suis strenue notavit, acerbiusque his dictis explicavit: « Pontano successit Actius Syncerus, qui partum Virginis Mariæ mire felici carmine descripsit, cui supra modum applausum est a Romano theatro, testantur hoc abunde Leonis et Clementis brevia, sic enim hodie vocant, tum Œgidii cardinalis addita præfatio, ne cæteros commemorem : nec sine causa tantopere placuit... Hoc nomine præferendus est Pontano, quod rem sacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam, nec inamœne tractavit. Sed meo quidem suffragio plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquando sacratius. »

In eamdem sententiam, libenter descendit Racinius junior noster; non cunctatus est enim quin diceret :

..... A des faits divins mon récit consacré
Par ces vains ornements serait déshonoré.
Je laisse à Sannazar son audace profane,
Loin de moi ces attraits que mon sujet condamne (2).

Etsi non adeo vehementioribus verbis Syncerum prosequor, non possum tamen quin Bossuetium memorem, crimini Santolio vertentem, quod in poemate quodam, Pomonæ mentionem fecerit. Sancta enim sanctis cogitationibus tractanda esse, nemo est qui sicut æquum est refragetur.

1. Cf. Ed. Venetiis, id., ibid., 181.
2. Cf. *Poème de la religion.*

Veris tamen proxima, meo saltem judicio, a Burckardt dicta sunt, dum asserit (1) fabulares historias cum incorrupta Christi fide misceri posse, quin illud absonum esse videatur; fabulæ quidem, sermonis flores vel lumina tantum, eum velut calamistris inurunt. Adde quod, Olympiaca numina, translationis continuæ munia solummodo implent, nedum primas partes agant.

Quid vero multa? non nostrum est enim, in iis quæ fidem contingunt, lites dirimere, cum summo et optimo jure, eas sibi arrogaverint Romani Pontifices, nec est cur nos delicta quædam fastidiant, quorum non eas tæsum est, nec illos etiam qui, ea tempestate, fidei assertores, sancta, scriptis suis strenue tuebantur. Cardinalem Seripando jam adduximus, neminemque fugit multum illum dolere quod in « ludis » *de Partu poema*, manu diurna non versarent discipuli.

27. — A multis Sannazarius laudatur.

Dies vero jam me deficiet si exprimere coner laudes eximias quibus Sannazarii carmina tunc, ab omnibus, fere celebrabantur, illiusque præclarum et aureum opus ornabantur. Etenim, ad christianam poesim illustrandam illud natum nominat Sixtus Senensis, eum Maronem Christianum alii, qui Pudentios Seduliosque vicerit. Ejusdem, Œgidius cardinalis asserit tantum esse laudum cumulum, ut ne ipsi quidem eloquæntiæ, qua mirabiliter excellit, locus ad illum laudaudum relinquatur.

Id tamen, ne cuidam immodicum dictum esse videatur, Petri Gravina liceat verba referre :

Qui divina legis Synceri carmina vatis,
Magnaque Virginei sacra Puerperii
Non hæc humano credas procedere sensu;
Auctori mentem movit et ora Deus,
Hunc sibi delegit, quo non cœlestia quisquam
Grandius, aut pleno cultius ore sonet.

Tandem ut modum oratio nostra adhibeat, a Finzi jam laudato, quoddam judicium sumam quo, ni fallor, nil æquius inveniri fas esse videtur : « Lascio in latino — inquit — un poema religioso *de partu*... tra le opere latine di questo autore, è il piu celebrato, perche ha forma corretta, limpida, elegante; ma il contenuto non

1. Cf. *La civilisation en Italie au temps de la Renaissance*, I, x.

corrisponde alla perfezione della veste, perche in quel tempo non era coscienza religiosa così viva dal produrre un poema sacro, e l'argomento stesso era di natura sua piu suscettivo dell' accensione lirica che non dell' invenzione riflessa e dell' artifizioso mecanismo dell' epopea. Comunque, il *de Partu...* è il migliore dei molti poeti latini che su argomenti religiosi e profani furono scritti nel cinquecento, tra i quali ci contenteremo ricordare *Christiade* (1). »

28. — Quomodo poema suum prius inscripserit Sannazarius.

De *partu Virginis* poemate et quibuscum laboribus indefessis compositum fuerit, jam longius in præmio diximus, quam ut deinceps de illis sermonem innovemus; haud ingratum erit tamen, aliquid a Scaligero mutuari, cum nos præsertim doceat cunctationes varias quibus agitatus fuerit Syncerus antequam poema suum *de Partu* inscriberet. In libro qui *Hypercritus* nominatur, sic se habet Scaliger : « Reliqui duo sunt, Actius Syncerus et Hieronymus Frascatorius, quorum uter que, cum præter illa quatuor a nobis toties decantata — nervum scilicet, numeros, candorem, venustatem, — etiam castigatissima fluat vena, atque moderatissima, non potest committi, quin aut alter, aut ambo, pari, æqualique gloria nomen suum tueantur. De Syncero igitur prius.

« Qua tempestate melioris vitæ officia Bononiæ auspicatus sum, habui studiorum socium Pacium Aquilium civem Romanum, qui antea militiæ quoque fuerat contubernalis. E. Calabria igitur commeatus gratia Neapolim cum venisset, decedens inde, secum attulit Eclogam Sannazarii cui titulus est, *Lycon* ac præter eam ex *Christeide* — sic enim appellabat — aliquot carmina sane quam luculenta. Quorum mihi nunc, cum in mentem venit, non possum non didicisse ex judicio tanti viri, qui opus divinum illud suum mutato consilio postea, non Christeidem, sed *de Partu Virginis* inscriptum maluit. Quare vero prioris inscriptionis titulum repudiarit, cognoscere satis in promptu est. Etenim vitam actaque Christi, cum in eo neutiquam narret, sed natalitia tantum canat, simplicissime profecto Latinis verbis expressit operam suam. Insuave fuisset *Parthenotocia* et *Theotocia* (2) ...

1. Cf. G. Finzi, *Lez. di Stor. del. litt. Ital.*, II, 2ª L.
2. Scal., *loc. cit.*, lib. VI.

29. — Quomodo Vergilium imitatus sit Sannazarius.

Bernardinus Parthenius quidam, in opus de *Poetica imitatione* inducens Tryphonem Gabriellium cum Manutio loquentem judiciumque de poetis ferentem, quædam asserit quæ, silentio prætermittere, injustum foret, modum enim eximium referunt quo Vergilium imitatus sit Syncerus. Illum idcirco audire liceat : « Sed unde initium duci vis? A Sannazario inquit Manutius. De quo quid, obsecro, sentis? Equidem, inquit, mirificum semper hunc existimavi, sive gravitatem, sive verborum sonum, aut eorum delectum spectarem. Magnificentiam vero, spiritusque sublimitatem nunquam satis ab ullo ingenio extolli posse putavi. Numquam præterea in ejus scripta incidebam, quin Vergilii ipsius imaginem viderer intueri. Tunc mecum ipse cogitabam, si idem argumentum sibi poeta summus proposuisset, neque magnificentius, neque splendidius tractaturum fuisse. Dispositione autem illa, ac decoro, sententiarumque dignitate, tum numero nihil fingi, aut excogitari absolutius posse statuebam. De quo adjungere et illud liceat, inter illum ac veteres poetas, nihil cum a sæculo atque ætate discesserimus interesse. Elaborati ac perpoliti versus præcipueque limati... Magno fuit judicio, scientiaque numerorum ita excelluit, ut exactam eorum legem solus tenere videretur (1). »

Neminem fugit, adeo Vergilii gressibus stetisse Syncerum, ut cuilibet fas sit multos « centones » ut vocant, in opere illius notare. Aliquos ex istis elegi, quorumdam alii verba quædam tantum, alii, versus integros e Vergilio excerpta transtulerunt.

Exempli causa multos versus ponere, haud quaquam difficile esset, multum vero, ni fallor, tractu pari et schemate quodam, Syncerum Vergilio comparare, satius esse videtur.

DE PARTU LIBRI I

Sann.	Verg.	Sann.	Verg.	Sann.	Verg.
13.	G., I, 214.	92.	Œn., I, 227.	131.	Œn., VII. 250.
20.	Œn., XII, 181.	95.	Œn., V, 524.	151.	G., IV, 206.
33.	Cu., 25.	101.	Œn., XI, 480.	163.	Œn., VIII, 540.
57.	Œn., { II, 749. XI, 202.	108.	G., IV, 415.	177.	{ Ecg., V, 62, VI, 84. IX, 21. — Œn., I, 93, II, 153, 222.
		123.	Œn., IV, 672.		
87.	Œn., IX, 563.	124.	Cu., 81.		

1. Ed. Sann., Venetiis.

Sann	Verg.	Sann.	Verg.	Sann.	Verg.
179.	Œn., xi, 377, 840.	272.	Œn., x, 24.	403.	Œn., ix, 466.
196.	Œn., ii, 105.	274.	Œn., xii, 709.	410.	G., iii, 395.
199.	Œn., x, 100.	281.	G., i, 110. Œn., i, 146.	412.	Ecg., v, 43.
222.	Œn., viii, 392.	301.	Œn., i, 153, 197.	414.	G., iii, 53.
226.	Œn., iv, 243.	313.	Œn., ii, 57.	425.	Œn., x, 667.
229.	Œn., xii, 619.	326.	Œn., i, 93. ix, 16.	437.	G., i, 177. Œn., iv, 60.
233.	Œn., iv, 26.	330.	Œn., x, 832.	446.	Œn., vii, 563. Œn., i, 84.
235.	Œn., xii, 936.	348.	Œn., ii, 539.		
237.	Œn., ii, 725.	368.	Œn., iv, 553.		
259.	G., ii, 525.	383.	Œn., vi, 828.		
263.	Œn., vi, 645. xii, 169.				

LIBRI II

Sann.	Verg.	Sann.	Verg.	Sann.	Verg.
20.	Œn., vi, 686.	108.	G., iii, 110. Œn., v, 458. xii, 553.	251.	Œn., vi, 314.
22.	Œn., i, 474.	111.	Œn., i. 657.	261.	Œn., vi, 781.
23.	G., iii, 555.	131.	G., i, 238.	284.	G., iv, 193. Œn., v, 624.
27.	Œn., i, 430.	137.	G., i, 98.	297.	Œn., iv, 361.
36.	Ecg., v, 51. Œn., iii, 158.	138.	Œn., iii, 502.	316.	Œn., v, 836.
48.	Œn., vi, 536.	163.	G., iv, 462.	341.	G., i, 73.
49.	Œn., v, 394.	169.	Œn., iv, 295.	353.	Œn., v, 816.
55.	Œn., iv, 12.	191.	G., iii, 521.	374.	G., iii, 357.
57.	Œn., vi, 235.	199.	Œn., xi, 262.	381.	Œn., v, 481.
75.	Œn., vi, 865.	202.	Œn., v, 494.	384.	Œn., ix, 446.
79.	Œn., i, 93.	227.	Œn., ii, 209.	432.	Œn., vi, 300.
82.	Œn., v, 724.	240.	Œn., i, 642.	440.	Œn., vii, 118.
89.	Œn., vi, 185.	248.	Œn., viii, 99.	467.	Œn., xii, 840.
97.	Œn., xii, 795.				

LIBRI III

Sann.	Verg.	Sann.	Verg.	Sann.	Verg.
2.	Œn., x, 100.	155.	Œn., i, 310. iii, 229.	234.	Ecg., v, 62.
39.	Œn., v, 304.	171.	Œn., v, 56. vi, 368.	235.	— 63.
62.	Ecg., i, 30, 68. Œn., vi, 409.	183.	Œn., viii, 722.	236.	— 64.
83.	Œn., i, 735.	202.	Ecg., iv, 6. Œn., xi, 252.	255.	Œn., vii, 34.
89.	Œn., i, 81. v, 32.	203.	Œn., viii, 423.	260.	Œn., vi, 255.
91.	G., iv, 219.	206.	Ecg., iv, 13.	283.	Œn., viii, 77.
93.	Œn., v, 458. xii, 553. G., iii, 110.	208.	Ecg., vi, 56.	301.	Œn., i, 652.
144.	Œn., ii, 621. iii, 620.	216.	Ecg., iv, 52.	304.	Ecg., i, 4.
148.	Œn., v, 71.	224.	— 30.	314.	G., i, 439.
		225.	— 39.	336.	G. iv, 388.
		231.	— 60.	360.	Œn., xii, 454. G., i, 116.
		232.	— 49.	402.	G., i, 350.
				428.	Œn., ii, 40. v, 76.

Animum meum non quidem spes subit fore ut omnes centones notaverim, ab illis vero quos adduxi, illud mihi saltem videtur, aperte probatur, non solum Tullii meram loquendi elegantiam vel ambitum verborum quo in numerum sententias redigebat pari æmulatione consecutos esse qui, ea viguerunt tempestate, sed etiam molle et facetum, quod Virgilio annuerant camœnæ rure gaudentes, eadem felicitate expressisse. Inter eos autem, ille unus fama optima divino proximus est Vergilio, supra tumulum cujus, versus duos inscripserat P. Bembus, quos non possumus in medium non adducere, sententiam nostram enim eximio dicendi genere illi significant :

Da sacro cineri flores : hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

30. — De Sannazarii versificatione.

Etenim, Sannazarium « Vergiliani christiani » cognomine multi adornavere, non quod modo heroico de *Partu Virginis* carmen aliquid instituerit, sed præsertim, ut mihi saltem videtur, quod in carminibus condendis, modice ac sapienter Maronis vestigia secutus sit.

Apud illum vero nil sane novi, nil inauditi in his quæ sive ad componendos sive ad jungendos inter se versus pertinent, reperire est, si singulos trutina penses et ponderibus examines tuis, quamdam autem Vergilii umbram, totus enim est in Maronis doctissima quidem et sollertissima imitatione. Quæ quidem erat conditio quasi necessaria omnium horum scriptorum qui veterum et romanorum præcipue admiratione ducti, opus effluxisse se quo nihil pulchrius putabant, dum Tullii sinceram loquendi latine elegantiam vel ambitum verborum illum quo in numerum sententias redigebat, facili æmulatione consequerentur, aut aliquid saltem « molle et facetum » illud quod Vergilio annuerant rure gaudentes camœnæ, exprimerent. Quidnam enim aliud efficere possunt, quibus laudibus maxime se jactare, qui præcipue, ne id unum dicam, spectant ut docti imitatores habeantur.

Tantam vero famam consecutus erat Vergilius, ut omnibus eo meliora viderentur carmina quod aliquid Vergilianum referrent. Quem ideo ducem et magistrum itineris assumpserat eximius Danteius, imitatione fida consecutus est Syncerus. Illudque eo magis eum decebat quo, Neapolitanus civis, quem « dulcis aluerat Parthenope » concivem numerabat Vergilium. Ipsa ideo

natalis origo quem imitaretur, Saunazario proponere videbatur. Totum igitur in illius imitationem se contulit.

Jam satis perspectum est, Syncerus nihil in his quæ ad prosodiam pertinent a Vergilio dissentire. In componendis vero versibus, quo adstrictiori modo ad eum accedit. Etenim non modo verba et voces Vergiliana, quibus abundat, sed etiam quidquid artificiosius quo inter cæteros præstat, apud poetam nostrum accuratissime reperies, quo numeros poeticos, in quantum fas est exprimat.

Ne multus videar, et singulas versuum clausulas a Vergilio mutuatas, quam longum est enumerare, iterum producamus, quas ceterum licet inquirenti notatas agnoscere in hac operis parte qua verba ab illo desumpta indicavimus, pauca proferemus quibus, quo modo Vergilianos numeros imitatus sit aperte sit demonstratum.

Conscia Vergilii imitatione sæpe Syncerus utitur cæsura quam « penthemimerem » vocant, eamque, ni fallor, quinquaginta et quatuor vicibus intra centum (54 °/₀) adhibet.

Ejusdem tamen gressibus insistens, non adeo diligens est ut pedem secundum non uno verbo aut cujusdam verbi exitu effingat, quod quidem effugerat Vergilius (1). Sæpius vero, ad modum Maronis, apud Syncerum nomen terminale invenies quod epitheto primum versus membrum concludenti, apte respondeat.

Aliquoties, forma quadam quam non spreverat Vergilius, et ipse usus est Syncerus, illamque cæsuram in usum vocat, quam « hepthemimerem » versuum legum ac modificationum periti vocavere, hanc vero, quam post tertium trochæum insumunt, et eam quam « trihememirem » dixere, in longum quasi protrahit. Duodecima vice intra versus centum (12 °/₀) hæc adhibita esse videtur.

Formæ qua non abstinuerat Vergilius (2), cæsuraque « hepthemimere » a « trihemimere » fulta constituitur, in suis versibus, ex quadrante, usum Syncerus usurpat; id est (25 °/₀).

Non illas adducendas reputavimus formas, quæ, cæsura « hepthemimere » cum cesura in trochæo secundo aut tertio, nec illam quæ cæsura « trihemimere » in trochæo tertio notatur, etenim eas admodum raro Vergilius adhibet (3), et a Syncero vix quienquies vicibus in usu insumuntur.

1. Cf. Havet, *Métrique grecque et latine*, 3ᵉ édit., § 94.
2. Id., ibid., § 97.
3. Id., ibid., § 98, 99, 100.

Spondiacos versus quos cum verbis Græcis tantum, adhibuerat Vergilius (1), una aut altera vice apud Syncerum in tribus carminis partibus reperies. Quemdam invenies (III, 286) ad normam a Vergilio adhibitam (*Geor*, IV, 336), efformatum, de quo non cunctatus est quin diceret doctissimus noster D. Havet : « à peine peut-on appeler latin un vers comme le suivant (2) ».

Bucolicam interpunctionem (3) nimium sæpe in usu insumit Syncerus quam ut eam notatu dignam reputemus.

Ne unus quidem tamen, ea perlegendo quæ strictiori ac qua par erat reverentia notavimus, non eadem de Syncero sentiet quæ, Bernardinus quidam Parthenius nomine, optimoque dicendi genere jam expresserat (4) : « Mirificum semper Sannazarium existimavi, sive gravitatem sive verborum sonum aut eorum delectum spectarem. Magnificentiam vero, spiritusque sublimitatem numquam satis ab ullo ingenio extolli posse putavi. Numquam præterea in ejus scripta incidebam, quin Vergilii ipsius imaginem viderer intueri. Tunc mecum ipse cogitabam, si idem argumentum sibi poeta summus proposuisset, neque magnificentius, neque splendidius tractaturum fuisse. Dispositione autem illa, ac decoro, sententiarumque dignitate, tum numero nihil fingi, aut excogitari absolutius posse statuebam. De quo adjungere et illud liceat, inter illum ac veteres poetas nihil, cum a sæculo, atque ætate discesserimus, interesse. Elaborati ac perpoliti versus, præcipueque limati. Magno fuit judicio, scientiaque numerorum ita excelluit, ut eorum legem solus tenere videretur..... Illique persimilem dicas qui, a beatissima itidem emanans vena, arteque expolitus, moderatius se ipsum temperans, ac cohibens, inter flores ac viridissimos herbarum vestitus suavi ac leni cum murmure, riparum suarum finibus contentus perlabitur. »

1. Havet, § 111.
2. Ibid., § 110.
3. Ibid., § 107.
4. B. Parthenius, *De Poetica imitat. citat.* in Edit. Venetiis facta.

VI

DE ECLOGIS PISCATORIIS

1. — De Tempore quo compositæ fuerint.

De Eclogis Piscatoriis a Sannazario editis, cum an. 1859, D. Campaux thesim quamdam facultati litterarum Parisiensi proposuerit, non nobis in mente erat disquisitionem quamdam inquirere, eas tamen omnino silentio prætermittere injustum foret. Liceat ideo aliquid de illis disserere, de tempore præsertim, quo illas scripserit Sannazarius.

Paulus Manutius dum typis mandavit opera latina Synceri, quædam de Eclogis addidit quæ quidem omnibus fucum fecerunt. « Leges hic omnia — inquit — quæcumque ab eo Latine scripta nunc exstant: primum autem erit divinum illud quod ipse de *Partu Virginis* inscripsit opusculum... mox Eclogæ quinque quas tamen decem scripserat; sed, e Gallia reversus, has tantum, quas emisimus, et fragmentum illud, quod post Salices collocavimus, invenit, reliquis aut furto surreptis, aut per incuriam suorum, quibus eas discedens crediderat, amissis. »

Nil vero quidquam, eam opinionem sane firmat. Sannazarius enim, opera sua quodam amore sollicito ita prosequebatur, ut maximo tædio habuerit *Arcadiam* suam cum multis erroribus primum prodiisse. Non ideo is erat qui jacturam aliquorum ex suis carminibus impavide sustulisset. Nullibi vero desiderium quoddam ne minimum quidem de illâ dictum apud eum invenies.

Manutium tamen non est cur mendacio insimulemur, cum præsertim et ipse, firmum habuerit commentum, quo impossibile dicebatur a quodam, Vergilium imitante, illius eclogarum nume-

rum non assecutum fuisse. Adde, quod quidem nobis, veris proximius esse videtur, et a Rosalba in eximio quodam opusculo verbis haud dubiis notatur : « Sembra poco verosimile questo preteso furto, d'una metà solo, del manoscritto ; e ad ogni modo tali parole non si trovano nell' edizione aldina, autentica, da me vista e riscontrata alla Nazionale di Napoli ; e sono forse dovute a chi curò la ristampa (1). »

Conjecturæ ideo de Eclogarum numero, quibus fidem adhiberemus, non nobis adeo magni momenti esse videntur ut non eas silentio prætermittamus. Illud vero jam nos docuerat Campaux qui Manutianum dictum referens verba quidem subjungit omnino citatu digna : « nil quidquam eam opinionem sane firmat ; quam contra refutat, cum eclogæ quartæ tum quintæ inscriptio, quarum altera Ferdinando in vinculis, post Federici patris mortem, Madriti habito, altera est Cassandræ Marchesiæ quam tantum post exsilium Neapolim reversus coluit, dedicata (2). »

Docti viri, eo libentius in medium protulimus verba, quod illorum in suo laudato opusculo, ne meminit quidem Rosalba. Ille tamen, Sannazariarum rerum exactor asper, multa delineavit summo cum studio, ut tempus firmaret quo eclogas suas ediderit Syncerus. A Campaux dicta non quidem, ni fallor, peragunt quæstionem litemque componunt, menti vero lumina præpandunt quæ non oblivioni danda erant.

Attamen magni faciendum est opus quod Rosalba exaravit, illudque non possunt quin manu diligenti deinceps versent qui de Sannazarianis rebus cura premuntur. Lucrum præclarum enim ex illo accipient, cuncta quidem non brevissime tantum dicta sed optimo jure disceptata invenient de tempore quo Eclogas suas Syncerus condiderit. Exitum hujus operis nobis ideo in medium proferre liceat : « Dopo tanta eloquenza di dati — inquit — non ho piu nulla da aggiungere sulla cronologia delle egloghe, e non mi resta che riepilogare brevemente quanto finora son venuto notando. Delle cinque pescatorie, indubbiamente la III^a e la IV^a sono posteriori all' esilio volontario del poeta e al suo ritorno in patria (1501-1504) per le allusioni storiche che contengono, e la V^a per la dedica a Cassandra Marchese. Non se ne può inferire, però, che tutte le pescatorie fossero composte in questo tempo, perché il Manuzio dice che le cinque egloghe da lui pubblicate,

1. *La Cronologia della Ecl. Piscat. di J. Sannazaro*. Rosalba 1893. Bologna. Garagnani.
2. *Op. cit.*, p. 64.

furono anteriori all' esilio, dal quale tornato l'autore, rinvenne solo queste di dieci che erano prima. Se la notizia non può accettarsi tutta, come anche l'asserzione del Giovo che le Pescatorie fossero un lavoro giovanile, resta possibile che anche prima dell' esilio il Sannazaro componesse pescatorie. In fatti, se della I[a] non si riesce a fissar la data, è molto probabile che la II[a] sia anteriore al 1503, perché pare composta mentre Pontano era ancora in vita ed è posteriore al 1491, per il nome di Melisæus, che dopo quest' anno il medesimo Pontano si diede in un' egloga.... In ultimo, da testimonianze chiare ed esplicite del Summonte, dello Scaligero, del Giraldi, dell Ariosto, si ricava che le egloghe fossero note e celebri molto prima della loro stampa, quando il *De Partu Virginis* o allora cominciava ad esser composto o n'erano conosciuti da alcuni soltanto pochi versi. Che anzi per il divino poeta del Furioso, il Sannazaro non è altro che il celebrato autore delle Pescatorie (1). »

2. — De Salicibus.

In eclogarum tenuitatem non descendam, idem enim illas percurrere valeret, quam amoris interpretationem audire, quam quidem in eclegiis et epigrammatibus jamdudum audivimus. Frustra autem, ut apud illas vitæ piscatoriæ imaginem veram aspiceret, animum suum quisquam erigeret, molles enim et facetos versus eximio dicendi genere exaratos, non vero veritatem ac vitam inveniret.

De carmine quod « *Salices* » inscripsit, Sannazarius, etsi illud lepidissimum habuit Scaliger, quod quidem refellere non audeam, non plura in mente habeo dicere. Etenim nullum piscatorium apud illud inveniri potest, cum argumentum ad scribendum, declamatio quædam, mea quidem sententia, imo sponsio ludicra existimari possit. Exaratum enim videtur, si modo fides Brockusio adhibenda sit, in gratiam Trajani Cabanillii qui, carmen aliquod operosius a poeta quo familiariter utebatur, poposcerat (2). Ut illi se gratum faceret Syncerus, narravit quomodo nymphæ quædam

Dulcia clarisonis solventes ora cachinnis

1. *Op. cit.*, p. 28.
2. Cf. Ed. Amstælodamensis, 1728.

sed « prope ferre pedem metuentes » a semiferis « blandis vocibus » adhortatæ fuerunt ad

..... viridi in prato molles de more choreas, ducendas

Illæ quidem tristem metum ejiciunt et

..... manibus simul implicitis per gramina festas
Exercent choreas; aliosque, aliosque reflexus
Inter se lætæ repetunt : nunc corpora librant
In saltus; nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia : et alterna quatiunt vestigia planta.

Tum Satyri

Tanta... sævi gliscit vis effera morbi

Pectoribus, præcepsque amor, et malesana libido; rupto fœdere subito, spretâque Deum pietate, ad pavidas nymphas « sævorum more luporum » invadunt avidi.

..... at miseræ discisso pectore Nymphæ
Frondiferam mœstis silvam clamoribus implent :
Atque huc, atque illuc fugiunt.
..... tum denique ad undas
Consistunt trepidæ, flavosque a vertice crines
Cum lacrymis, gemituque, et flebilibus lamentis
Abscindunt, Sarnumque vocant, liquidasque sorores.
..... sed quid Sarnusve, aut illa natantum
Agmina Naiadum possint, ubi ferrea contra
Stant fata, et duro leges adamante rigescunt?
Ergo, defectæ cura auxilioque Deorum.....
Finem optant. Jamque in fluvium se mergere adortæ
Membra reclinabant, et aquas prono ore petebant :
Cum subito obriguere pedes, lateque per imos
Exspatiata ungues radix, fugientia tardat
Adfigitque solo vestigia.....
..... Pro digitis, ramos exire videres,
Auratasque comas glauca canescere fronde
Et jam vitalis nusquam calor; ipsaque cedunt
Viscera paulatim venienti frigida ligno.
Sed quamvis totos duratæ corporis artus
Caudicibusque latus, virgultisque undique septæ
Ac penitus salices : sensus tamen unicus illis,
Sylvicolas vitare deos, et margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

Multa quidem similia, olim Ovidius cecinerat, nec illi impar esse videtur Syncerus. Non est vero cur in his longius immoremur; satis enim omnibus perspectum est quanta industria præditus fuerit Sannazarius, qui tam perbelle chelym latinam pulsavit.

VII

DE GLIOMERIS

1. — Quidnam sit de illis sentiendum.

Doctus Torraca in diario quod *Giornale Storico della Letteratura Italiana* (1) » inscribitur, quædam de *Gliomeris* a Sannazario editis, scripsit, omnino notatu digna; quæ quidem nobis liceat in breve cogere. « Che vi sien — inquit — ciascun lo dice, dove sien, nessuno lo sa. »

De illis enim prima mentio invenitur in quadam epistola quam ad Paulum Manutium Honoratus Frascitelli da Isernia misit. « Sannazarii nostri opera vulgari sermone scripta — aiebat — recudenda censeo. Gliomerumque suum, quamvis vernacule scriptum, typis excudendum est, licet enim jocose exaratum, illius clari viri ingenium, in minimis etiam admirandum facile puto. » Dies in epistola non adscribitur; illum tamen indicere, ex adjunctis haud impossibile esse videtur. Honoratus enim Manutium arcere vellet a nova editione Lactantii operum, quæ quidem, an. 1535 typis vulgata fuerunt. Idcirco hæc epistola in qua de Sannazario locutus est, illo anno prior est equidem.

Torraca non prætereundum esse reputat, quod Honoratus de *Gliomeris* loquendo, numero singulari utatur. Etenim ex isto, ominari liceret, una vice tantum, lingua vernacula, ludum jocosum iniisse Sannazarium.

Crispo da Gallipoli, cum an. 1593, de Sannazarii vita aliquod edidisset opusculum, fusius de *Gliomeris*, sed munero singulari etiam, loquitur. « Ed essendo quel Principe (Federico) — inquit

1. Cf. Vol. IV, 1884.

— vago molto di rappresentazioni, o, se dir vogliamo, giocosi spettacoli, simili alle antiche Satire, ed in essi di nuove invenzioni; diede al Sannazaro occasione di esercitarsi in que' primi anni in cose piacevoli, ed a quel signore non poco grate. Nè pur oggi è fatto antico in Napoli, fra gli altri suoi componimenti uno, detto dal volgo di essa città, *Gliomero*, nome conveniente all' opera, in cui si raccolgono tutte sentenze, e voci goffe del parlare antico Napoletano, con digressioni molto ridicole, segni non oscuri della fertilità dell' ingegno di esso poeta (1). »

His verbis fulti, qui in litteris cura incumbunt, Gliomerum Sannazarii, quoddam dramaticum opus esse asseruerunt.

Ghioccarelli (1647), plurali numero primus utitur, nosque docet : « Carmina quoque materna lingua antiqua ac rudi Napoletana ad risum provocandum aptissima ad Federicum regem, edidisse Sannazarium quæ *Gliomeros* appellavit, et comœdiæ, loco eidem, regi ac proceribus, exhibita fuisse, et adhuc manuscripta circumferri (2). »

Antonius Vulpio, in præmio quod Sannazarii operibus præfecit, ipse etiam de Gliomeris loquitur, non nova vero addidit, eaque translata dixit quæ jam Crispo protulerat : « proavorum temporibus — ait — adhuc in manibus erat libellus quidam a Syncero exaratus, facetiarum ac festivitatis plenissimus, quem vulgus Neapolitanum, *Gliomerum* appellabat. In eo scilicet, collecta erant rudia et obsoleta verba, argutæ item brevesque sententiæ, quæ olim populari sermone jactabantur. His auctor multa ridicula de suo addiderat, ut qui opus legissent, ab ingenioso doctoque homine profectum, haud temere suspicari possent (3). » Invidia temporum, libellus absumptus fuit, attamen, si Petro Ulamingio docto, fides adhibenda sit, an. 1728, adhuc Neapoli, manuscriptus ille extabat, vestigia cujus non amplius inveniuntur.

Decurrente tempore, doctorum opinio, absque ulla dubitatione, *Gliomerum*, non tantum dramaticum opus esse invaluit, sed etiam artis musicæ modis subjectum esse (4). Quod quidem certis testimoniis probare, valde operosum esset ne vanum et inane dicam.

Idcirco, Petrus Signorelli omnibus postpositis, quæ vulgo,

1. Cf. *Op. Volg. di J. San.* Venetiis, 1741, t. II, p. 221.
2. Cf. *De Illustribus Scriptoribus.*
3. Cf. Ed. Amstelœdami, 1728.
4. Cf. *Galiani del dialetto Napolitano.*

externa argumenta dicuntur, ex ipsa verborum significatione nisus est ut Gliomerum, aliquo saltem modo describeret. *Gliommere* — inquit — vale gomitolo; dunque, con quel nome quasi si volle additare un viluppo seguito che ridicolosamente di mano in mano si svolgesse usandovisi formole e parlari napoletani. »

In similem ferme sententiam Colangelo descendit, quam quidem non abnuit d'Ancona. Eamdem etiam professus est Scherillo cum dicit « parebbe che gli gliommeri del Sannazaro fossero delle commediole piene di travestimenti, di maschere, di imbrogli. »

Non valde ideo, ni fallor, atellanis veteribus, opus illud dissimile fuisset.

Etsi sententiam istam non asserit Torraca, non illi tamen adeo infensus est, ut non possimus, verisimiliter saltem, et conjectura ducor ad suspicandum, eam, tuto pede ingredi.

Gliomerum quidem, temporum iniquitate absumptum fuit, aliquod tamen opusculum exstat, quod vulgo *Farsa* inscribitur. Valde gliomeris illud simile esse dicit qui vitam Sannazarii a Crispo conditam, annotationibus amplificavit. Liceat ideo, vel saltem primoribus labris, istud prælibare.

Cum Alphonsus dux Calabriæ, regem Illiberitanorum fuga turpissima profudisset, Neapoli, dies festos agitavit, sed a Sannazario quo familiariter utebatur, quædam ludicra spectacula poposcit, ut novitatis gratia populum moraretur. Canticum exaravit Syncerus, quod, demonstrationi scenicæ comparare haud injustum esse videtur.

Magno enim apparatu scenico mediante, Maunettus in medium adducitur, casusque suos voce lamentabili deplorans, his verbis conclamat :

Fuggi, fuggi dolente
Non veder la tua gente soggiogata,
Non veder piu Granata! fuggi, lasso;
A che pur fermi il passo?

His dictis, purpurea veste induta lauroque cincta, e templo progreditur Fides, quæ omnia sibi fauste successise lætatur :

Ecco che le miei danni
Dopo tanti, e tanti anni in lieta gloria
Si voltan con vittoria. Ecco ch'ormai
Son finiti i miei guai, e con vendetta
Della gente maldetta, che con fraude

Tutta l'antica laude mi avean tolta.....
..... O sacro affamo
O dì felice, ed anno incominciato
Con si dolce, onorato, e bel principio!
Taccia Cesare e Scipio, e' l gran Metello
Taccia Fabio e Marcello : tacciam tutti.
Questo ha vinti e distrutti gl' infedeli,
Li nemici crudeli di pietate
Della vera onestate, e del battesmo
Del re del Cristianesmo.....

Vix illa dixerat, multis symphoniacis comitantibus, Lætitia procurrit, magnisque laudibus ducem victorem extollit.

Quando giammai le stelle
Vider Donne si belle insieme e tante
Congregate davante la presenza
D'una regal potenza? in qual etate
Tal e tanta onestate il mondo vide?
..... io so che' l crudo
Maumetto, infermo e ignudo or è fuggito,
Ed al suo antico rito è già tornata
La nemica Granata.....
..... Or Balli, e Canti,
Venite tutti quanti, or giochi e risi.....
Ecco soavi odori; ecco diletto.
Ridete voi, e pianga sol Maumetto.

Hæc ubi dicta, multi, varia veste induti progrediuntur qui, choreas exercendo, modis musicis et canticis, oculos simul ac mentem magno gaudio afficiunt.

Opusculum istud longius forsan retulimus, non adeo pollet enim eximio dicendi genere quo semper Syncerus utitur; nullum quidem verbum præ se fert quod non aliquid populare sonet. Silentio tamen non prætermittendum erat cum ex illo præsertim non ingenii tantum vena dives, sed mens etiam et animus splendescere videantur, omnibusque manifestum appareat non frustra Syncerum scripsisse :

Prosit amicitiæ sanctum per sæcula nomen
Servasse, et firmam regibus usque fidem (1).

1. *Ecleg.*, III, 2.

VIII

DE EPISTOLIS SANNAZARII A D. NUNZIANTE NUPERRIME REPERTIS [1]

---

1. — Quid in illis reperiendum sit.

Inter epistolas a Sannazario scriptas, quas an. 1887, numero quadraginta, in Londonensi bibliotheca, Nunziante invenit, non omnes eadem cura sunt perlegendæ.

Syncerus quidem ad amicum suum Ludovicum Seripando, qui erat ab epistulis cardinalis Arragoniensis, dum litteras mittit, mentem suam absque fuco ostendit, ad nos vero parvi aut minimi refert illum sæpe stomacho laboravisse, magni autem quid de Romano pontifice aut liberalibus artibus senserit. Eis ideo silentio prætermissis, quæ non nisi de rebus minimi momenti agunt, illas adducemus tantum, quibus Romana curia vel Synceri animus depinguntur.

Amicitia ductus qua cum Cassandra Marchese jungebatur, non potuit Syncerus quin causam de divortio illius curaret, quæ quidem coram, Pontificis maximi Leonis X tribunali agebatur, nilque antiquius habuit. Ne unus quidem dies aderat quo suum amicum ad causam istam maturandam non adhortaretur, in iram etiam incidebat, quoties mora quædam a Castriota, Cassandræ marito, impetrabatur. Imo furore incensus, Cassandram causa cecidisse, facinus indignum esse clamitabat. A summo pontifice, regem Neapolitanum appellat : « havemmo re e possente — inquit — che non ci denegara la giustizia (1) ». Neapolitanosque jurisperitos, Romanis, suis laudibus anteponit :

1. Cf. *Un divorzio ai tempi di Leone X da XL lettere inedite di J. San.* E. Nunziante.
2. 9 octob. 1518.

« havemo dottori boni qua anchora, che sanno quanto quelli di Roma (1). » Nil intentatum reliquit quo causam suam agere posset. Etiam maledictis et contumeliis non parcens, in Romanum pontificem et judices atrociora convicia jactat : « Mi pena di essere stato propheta, benchè la prophetia mia non nascea da molto bona opinione ch'io tenesse di questa santa corte, la quale sel corpo di Christo trovasse ad vendere, non dubito punto, che da mattino ad sera alcuni di questi otri incappellati stariano ad setacciare farina (2). » Non erat tamen ex illis qui, ea tempestate, Romanam Ecclesiam adoriebantur, Lutheroque minime suffragabatur.

Romanorum judicum vero parum æquitate nisus, et ipse non nimis se regum firmitati confidebat, et ideo cum non res novas cuperet, non potuit tamen quin in quadam epistola scriberet : « Perduta è la razza degli re (3) », exsiliumque et fugam illis suadet « s'io mi travasse re in questo tempo, con un poco di faculta, mi confidaria presto guadagnare assai piu paese di quel che avesse (4) ». Imo, nulla spe deinceps fretus, vitæ suæ finem valde exoptat : « Io ho un conforto che mi trovo vecchio e malsano; ma questo serve solo ad me, che è poca cosa. Ma ad tanta altra moltitudine del nome christiano che serve? (5) »

Ex his, facile intelligitur cur, in epigrammatibus suis, summos pontifices sale nigro adsperserit; mente quidem candida præditus, non callidus erat temporum, nec is erat qui res humanas astu tantum et consiliis moliri sciret.

Istis vero neglectis, epistolas præsertim transferre liceat in quibus, de ingenuis artibus agitur, quæ quidem, amplissimis verbis, ingenium et disciplinam poetæ, fuse latiusque produnt. Jam illam adduximus qua mentis assiduas curas pandit, ne « *de Partu* » poema, censoriæ severitatis quadam de fide nota inuratur (6). Haud futuri incautus, fidem integram professus est, et quod non esset probandum, ipse, significatione aperta jamdudum vituperavit. Illud vero sollicitudine maxima Sannazarium lacerat, quod quidam in ejus poemate nonnulla reperiant quæ non Vergilium apprime redoleant. Sadoletum ideo enixe deprecatur ut, nec lituris parcens, poema perlegere velit; etenim illius vocem

1. N° 30.
2. 11 septemb. 1518.
3. 12 mart. 1518.
4. Id., ibid.
5. Id., ibid.
6. 23 mart. 1521.

velut divinitus emissam habebit semper. « Le amorevoli admonitioni di mons. mio di Carpentras — inquit — mi sono state carissime, e perché son molte, bisognarà considerarle tutte accuratissimamente, et tenere ogni parola per oraculo (1). »

Non ille est tamen qui sententiam suam non defendat. Etenim, quadam die, Seripando, haud animo benefico, Davidis prophetiam acceperat, criminique Syncero verterat quod eam non benigno et opportuno loco collocasset, cui respondens, Syncerus scripsit : « Parea ad me in quel che V. S. chiama vaticinio di David, haver posto molti furori, cio è in quanto vede presenti le cose future, nel resto, essendo già il Salvatore nel ventre dela Vergine, par che sia un memorare dele cose molto tempo avanti vaticinate in vita, et quasi un aprire et revelare di quelle et allegrarsi di vedersele de proximo, che certo assai chiaramente tutte quelle cose erano state predette tanti anni avanti dali propheti; ma le recognosce quel tale nel limbo donde spera esser liberato (2). »

« Crudelissima » dixerat sidera, quod quidem multi moleste ferebant; eos vero docet vocibus iisdem usum esse Vergilium, atque ex illo versum depromit quo :

« Atque deos, atque astra vocat crudelia mater (3). »

Ne unum, vel parvi momenti omittit. Non eum fugit, aliqua saltem dubia, sæpe etiam falsa Proteum dixisse : « Cosi — inquit — per temperare la fictione poetica, et ornare le cose sacre con le profane, sui parse provederci con dire : mendax ad cætera Proteus; hoc carmine uno veras effudit tempore voces (4). »

Dum censum Syncerus memorat, geographiæ peritos evolvit : « mi è parso tenere — inquit — lo ordine che tene Strabone, Plinio, Pomponio Mela et li altri, fare un cerchio et tornare al punto donde mi parti (5). »

Pisones monuerat Horatius ut, si quid olim scripserint, in Mœci descendat judicis aures (6); morem eumdem gessit Syncerus, multosque censores rogavit ut versus suos diligentissime perquirerent. Antonio Thebaldeo cumulate gratias egit quod non lituram tantum, sed vocabula nova addiderit : « Mi son

1. 13 apr. 1521.
2. Id., ibid.
3. Virg., *Ecl.*, V, 23.
4. 13 apr. 1521.
5. Id., ibid.
6. *Art. poet.*, 387.

piaciute due cose... l'altra che non solo riprendre, ma pensa ali remedii che ancora non lo ha fatto alcuno (1). » Horatianum mandatum de carmine quod quidem necesse est « nonum prematur in annum membranis intus positis » in majus acceperat Syncerus. Etenim « *de Partu* » poema triginta octo annis perpolivit : « Son piu di trenta octo anni che non fo altro, se non questa manera di indagine, nè credo haver fatto cosa, che non l'habbia observata in buoni autori, per quanto bastò lo ingegnio mio (2). »

Syncerum vero de vocabulis disputantem audire, non magni foret pretii, silentio ideo prætermittamus quæ de syllabis et vocibus cum maxima diligentia profitetur. Modo Vergilium, modo Lucretium et Horatium auctores adhibet, Hieronymum et Augustinum etiam confert ; cuncta, ut uno verbo dicam, trutina pensat, nullum idcirco paulo licentius sumptum, apud eum invenies.

Vergilio, quem magistrum vocat, non ita tamen erat addictus ut in verba illius tantum juraret : « Ignoranti bestie — exclamat — Vergilio non lo dice, dunque non è latino, dunque non si trova, dunque non si pò usare? molte cose non dice Vergilio che dicono li altri et son bellissime. Catullo ad chi Verg. va cosi appresso come ala matre il figliulo, usa molti vocaboli che Verg. non li toccha, et non perchè non sian cosi boni, come l'altri che esso usa ? (3). »

Sed hæc hactenus. Ex illis litteris aperte quidem probantur Synceri cura et studium, quibus antiquitatem eximio dicendi genere provocavit; ex illis etiam, sensus animi amantis ita significantur ut non nimius Bembus videatur, quadam in epistola ad Syncerum dicendo : « ... cognovi præter ea quæ dixi, utriusque linguæ studia litterarum delatumque jam pridem in illis tibi a Musis atque ab Appoline principatum ; quam sis etiam in ipso usu vitæ, cum humanitate et suavitate, tum hercle, omni virtutum genere, atque illa in primis vel probitate vel morum animique, si Latine satis possum dicere, sinceritate, quæ quidem virtus tibi etiam agnomen dedit, politissimus (4). »

1. N° 39.
2. Id., ibid.
3. N° 39.
4. Cf. *Fam. Epist.*, lib. IV.

IX

CONCLUSIO

Lingua vernacula, multos versus etiam Sannazarius condidit qui vulgo « *Rime* » vocantur.

De illis, nobis, non injuriosum quidem, altum vero silentium servare liceat. Non illi sunt enim qui, Synceri gloriæ aut menti præsertim, penitus ab Eclegiis, Epigrammatibus et Arcadia cognitæ, aliquid addendi pares esse videantur.

Etenim, de re amatoria, nec meliore aut jucundiore modo quam quo jam usus fuerat Petrarca, loquitur Syncerus. Imo, translatione quadam fere continua, cordis et animæ sensus fœdat, nedum eos in bono lumine collocet. Icarii veteris tunc casus varios memorat (1), aut alio in loco (2), contra velum irascitur quo amatæ species adumbratur, vel ejus manus improbe vituperat (3) eo quod digitis oculorum lumen occultent. De ejusdem ingrato animo (4) queritur, qui quidem illum inducit ut mortem ipsam acrius appetat.

Cosi morte bramando io mi consumo.

Non est vero cur longius in amoris querulis immoremur, cum illas præsertim sæpe jam in Arcadia audiverimus, nec quidquem novi præ se ferant quo mens validior animusve vegetior reddatur.

Injustus attamen ille foret qui Syncerum despectui haberet dum, versibus suis auxiliantibus famam sibi immortalem pollicetur :

1. *Son.* 64.
2. *Canz.* 6, *son.* 33.
3. *Son.* 34 et 35.
4. *Son.* 44.

..... Se le statue, e i sassi il tempo frange,
E de sepolcri è incerta, e breve gloria;
Col canto sol potea levarmi a volo.
Onde con fama, ed immortal memoria
Fuggendo di qua giù libero e solo,
Avrei spinto il mio nome oltr' Indo e Gange.

Votum illud non quidem irritum fecerunt qui postea vixerunt, Sannazariumque non dubitaverunt omnino inter primores collocare.

Vergilio enim haud impar, « *de Partu Virginis* » carmine, non virum aut arma exaltavit, christiana vero fidei stupenda miracula optimo dicendi genere et modo canoro profluente narravit, ita ut multis in locis nec ab ipso poetarum romanorum principe melius dici potuerit.

Theocriti gloriæ æmulator, cum in Arcadia tum in Pescatoriis, mœnaliis versibus pastorum lusus et amores adeo faceto genere expressit, ut a veritate non multum aberraret qui etsi non primum gradum, optimum locum inter primores Syncero tribueret a quo etiam multa qui versus mœnalios deinceps decantaverunt, mutuati sunt.

In Epigrammatibus, sale nigro eos qui tunc vivebant adspersit aut facinora adeo vehementer suggilat, ut, mea quidem sententia, Juvenalem pede haud inæquali sequi videatur.

Ovidium in Eclegiis tam facili fortuna imitatus est, ut inter eos qui tunc temporis, Nasonis vestigia sunt ingressi, longe princeps Syncerus habeatur, magistrisque romanarum litterarum æquiparari omnino justum esse videatur, nedum absonum sit.

Optimo idcirco judicio, ad Sannazarium Belisarius Aquaviva Neritinorum Dux scribens laudare potuit « cum orationis splendore brevitatem, cum rotunditate ornatum, cum fluxu carminum pulchritudinem; atque ita demum omnia numeris et sententiarum gravitate commendata videri, ut ad cujusvis scriptoris antiquissimi candidissimique laudem accedant ».

APPENDIX

DE SANNAZARII CUM POLITIANIO ET LAURENTIO MEDICEO COMPARATIONE

I

Iisdem ferme temporibus quibus, Sannazarius Neapolitanus, lyram pulsando, omnium mentes, Musarum illecebris demulcebat, latinaque et Etrusca simul lingua rem amatoriam dulcesque et amœnos ruris situs pari fortuna canebat, Florentiæ duo aderant poetæ qui, etsi fortuna dissimiles, amicitia tamen juncti, Etruscis carminibus, Petrarcham et Dantem et vi poetica, nec scriptura tantum, sed, ut Pici Mirandulæ verbis utar, earum rerum pictura quas expressere, facile æquaverunt.

Quorum unus, Mediceorum familiæ princeps, Laurentius, cognomine Magnificus dictus, alterum, Politianum ex humillimo genere ortum ingeniique viribus tantum potentem, non divitiis et honoribus solummodo auxit, sed peramœnæ etiam in agro Fæsulano villæ concesso munere dulcissimis recreavit otiis conjunctissimaque sibi amicitia parem fecit.

Merito idcirco et non ingrati muneris, illorum opera e primoribus saltem labris attingere, magni autem, ni fallor, pretii erit. Etenim, rem amatoriam canendo, eximium dicendi genus quo Syncerus pollebat non quidem superaverunt, divite vero quadam vena præditi, multis in locis æquaverunt.

Jamdudum, unus e nostris, inter viros doctos amplissimus, Bonafous nomine, Politianum (1) cura maxima amoreque bene-

1. Bonafous, *De Aug. Politiani vita et operibus disquisitiones*, 1845.

volo cum in medium protulisset, haud dicere cuntatus est « duobus summis Aligherio et Petrarchæ, Politianum proximum accessisse, nec longo intervallo fuisse ». Eadem verbisque ferme iisdem jam de Laurentio, Picus Mirandula dixerat, imo, Medicei carmina pluris etiam istis fecerat; etenim, ut illius sententiam proferam « al Petrarca mancano le cose cio è i concetti, e a Dante le parole, cio è l'eloquenza (1) ».

Ii sunt enim qui, divino quodam afflatu adspirante, dum Neapolitanos juvaret Syncerus, Florentiæ incolas recrearent, Italiamque duplici lauro ornatam universo orbi terrarum exemplo darent.

In quadam epistola ad Laurentium Mediceum, sit se habet de Politiano, Marcilius Ficinus : « Domi, Homericum illum adolescentem nutris, Aug. Politianum qui, græcam Homeri personam latinis exprimit coloribus, atque ita exprimit, ut nisi quis græcum fuisse Homerum noverit, dubitaturus sit e duobus uter sit naturalis et uter pictus Homerus. »

In ista vero translatione non est cur diutius immoremur, illa enim, etsi non omnino perdita fuit nec bibliothecarum latebris oppressa, ut, immerito, Bonafous noster aiebat, longius tamen ab aliis Politiani operibus distat, ut in illa studio sollicito incumbere nobis æquum esse videatur.

Amatoria carmina perlegere, magni nostra interesse duximus. Etenim, cum in versibus vulgo « *rispetti* », aut « *ballate* » dictis, tum in illo opere quod « *Giostra* » nuncupant, amoris lusus, eximio dicendi genere investigandique cupiditate adeo perbelle enarravit, ut a vero non multum aberraverit Carducci, de rebus Etruscarum litterarum peritissimus, dum in illis viderit : « il giovine e puro rinascimento, la dignità restituita alla materia alla forma alla carne contro l'ascetismo macerante et l'idealismo estenuante del medio evo (2). »

Poliatianus enim, Anacreontis morem, optimo quidem modo, ad Italorum gentes revocavit, vetusque ingenium animum et colorem nec non orationis tenuitatem adeo feliciter innovavit, ut lyram antiquam novis floribus juventutisque coloribus adornatam iterum populorum voces sustulisse, facile dixeris.

Non est ideo cur Politiano buccas inflemus, si quid licentius verbisque parum verecundis cecinerit, mente enim libera quæ,

1. *Cit. apud.* Carducci, *Le Stanze di Messer A. Politiano.* Firenze, 1863.
2. Carducci, *op. cit.*, L.

tunc temporis, in optimatum concentibus vulgabantur, fidibus nos docuit. Animo tamen non adeo vacuus erat ut ad veterum et Petrarchi imitationem lyræ suæ cantus non direxerit. Istudque tam feliciter gessit, ut Carducci Politianum « æmulatorum patrem » vocaverit, et laudibus cumulaverit nedum ei vitio verterit. Syncerum, multis in locis, velut antiquitatis ubertate plenum floribusque adornatum ex alienis hortulis decerptis, jam notavimus, nec est cur Politiano infensiorem habeamus animum.

De rebus Politianis vero exactor asper, vir doctus Carducci, omni cunctatione abjecta, audacterque illos suggillat quibus mos ille vituperatione quadam damnandus esse videtur. Istius verba in medium adducere magni pretii foret, a proposito nostro forsitan vero plus æquo deterrerent, commentum quoddam tamen, a Chenier nostro desumptum, quod quidem e Carducci hortulis transtuli, proferre liceat (1).

Souvent des vieux auteurs j'envahis les richesses.
Plus souvent leurs écrits, aiguillons généreux
M'embrasent de leur flamme, et je crée avec eux.
Un juge sourcilleux, épiant mes ouvrages,
Tout à coup à grands cris dénonce vingt passages
Traduits de tel auteur qu'il nomme.....
Que ne vient-il vers moi; je lui ferai connaître
Mille de mes larcins qu'il ignore peut-être.....
Je lui montrerai l'art ignoré du vulgaire
De séparer aux yeux, en suivant leur lien,
Tous ces métaux unis dont j'ai formé le mien (2).

Etenim, cum in manibus omnium ea sint quæ jam ab antiquis elaborata fuere, ex eis fructus decerpere semper concessum fuit, nec ideo ab illis abstinuere præsertim litterarum cupidi qui, hac tempestate, vitam suam egerant. Idcirco, Syncerum antiquitatis æmulatorem secutus est Politianus, et amorem celebrando haud veterum commenta despectui habuit.

Rem suam amatoriam carminibus inclusit quæ vulgo « *Rispetti* » vocantur. Longius de istis disserens Carducci, nos omnia docet ab iis dicta qui, rerum philologiæ scientia præditi, ne unum quidem silentio prætereunt, quin in utramque partem de illo acriter disputaverint. Eximiam ideo a Carducci disquisi-

1. Cf. Carducci, *op. cit.*, CV.
2. A. Chénier, *Epîtres.*

tionem elaboratam (1) adeant qui, et unde verba ducta sint exquirere, non abjiciendum studium cura vero sollicita dignum, secum reputant. Nobis tantum Politianum opus delibare liceat.

Eadem semper Politiani fides sonant, nilque apud eum invenies nisi amatoris cujusdam querelas, spes falsas aut gaudia quibus vicissim torquetur, illuditur aut delectatur, prout mulieris amatæ ludibria voluerint. Mentem nostram tamen dulci quadam lætitia mulcent, nedum illi fastidio sint: canoro enim et modulato dicendi genere atque non affectato lepore hilari autem argutia mellitisque salibus speciem eximiam mulieris dilectæ depingit, quam quidem nec stellis nec solis ipsius radiis imparem facit. Ista jam apud Petrarcham audiveramus, nec est cur jamdudum descriptionem exaratam proferamus. Syncerus ipse, cum in « *Arcadia* » tum in *Eclegiis*, sermone latino conscriptis, illius quam diligebat speciem, floribus conspersit; verborum vero parcus, etsi miro etiam candore præditus, non nimia descriptionum assiduitate lassas aures onerat, quod quidem non adeo vigilanter vitavit Politianus.

Primas vero ultro illi tribueret qui a lyra nescio quid flebile jam ab Ovidio et Tibullo decantatum requireret, nimius enim essem, si omnia recitare vellem quibus Politianus, mentis mœrore consenescentis, querelas pandit.

Istis omnino neglectis, quibus « Petrarchistarum » modo, naturam incusat eo quod non vultum hilarem ei præbuerit mulier amata, vel aspera nimis non mutuam voluntatem tribuerit, quædam saltem miseratione plena in medium produceret liceat.

Per dio, madonna, donami soccorso.....
Soccorimi oramai, prima che morte
Chiuda questi occhi e li spiriti lassi.....
Soccorimi oramai; merzè chiamando
Finir mi sento il core in te sperando.
Che debbo io più, meschino! omai pensare
D'aver riposo in questo mondo o pace?.....
O cruda morte, o lacrime vivace,
A voi ritorno; poi ch' ogni altra cosa
A me meschino, misero! è noiosa (2).

Eadem apud Syncerum reperies, sæpe enim amoris et ipse

1. Carducci, *Le Stanze di Mes. A. Politiano*, CXI.
2. A. Politiano, *Rispetti continuati* (III) passim. Cf. etiam. *Rispetti Spicciolati*, XXIV, LXIV-LXV.

telis confossus, despectui vitam habuit dum mulier quam appetebat votis non mutuam sibi voluntatem tribueret; nusquam vero aspera verba ex imo corde profluentia, quibus Politianus abundat, dicendique flebili genere ægritudinem suam levat apud eum audiuntur; inane vanumque commentum potiusquam animi dolorem exprimit, dum querelarum gemitibus aures nostras perfundit. Politianus e contrario, etsi, ut poetis mos erat, inanes etiam lamentationes edidit, sæpe, voce ad miserabilem sonum inflexa, animos nostros movet ad misericordiamque revocat. Quis enim dummodo corde non sit adamantino præditus, siccis oculis Politianum acciperet, cum flebiles ille voces emittit ut vota pia cineri suo tribuantur.

Requiescat in pace! in pace posi
Dica ciascun che mi passa davante
Costui ch' è morto né lacci amorosi
E patito ha dolor e pene tante.
Sopra me pianti tristi e dolorosi
Facci ciascun che si può dire amante
E dica — Tu che morto in terra giace
Vino da crudo Amor, riposa in pace! (1).

Judicio tamen exquisito aliquoties carens, non potuit Politianus quin multa composuerit carmina quibus, facile, artis quidam peritus atrum allineret transverso calamo signum. Ne unus quidem est qui Politiano annueret clamanti :

Acqua vicin! chè nel mio cor io ardo.
Venite, soccorretelo, per dio.
Chè c'è venuto Amor col suo stendardo.
Che ha messo a foco e fiamma lo cor mio.
Dubito che l'aiuto non sia tardo :
Sentomi consumare : oi me, oh dio!
Acqua vicini! è più non indugiate;
Chè il mio cuor brucia, se non l'aiutate (2).

Adde etiam carmina quibus oculos redarguit, eo quod sine lingua vocem exprimant, vel sine ferro trucident, vinctumque hominem absque vinculis teneant (XXIII, *Rispetti Spicciolati*...)

Rerum tamen non adeo existimator asper, Politiano uni crimini dabimus quod temporum errori potius tribuendum esse

1. *Rispetti Spicciolati*, XCVI.
2. Ibid., XXVI.

videtur et omnium, qui hac tempestate lyram pulsavere, cantus aliquo modo fœdavit. Neminem enim reperies qui, « Petrarchistarum » modis, ultra quam satis est indulgens, talia non sæpe dixerit.

Sannazarium idcirco qui eadem admisit, nec Politianum summo jure agamus; nonnulla potius ex ejusdem carminibus decerpamus quæ, tempus irreparabile nec eximiæ pulchritudinis speciei parcens, optimo quidem dicendi genere pandunt.

Nimium ne credat colori mulierem quamdam his vocibus alloquitur :

Chi si diletta in giovenile amore,
Compera la ricolta in erba verde;
Chè sempre il frutto non risponde al fiore,
E spesso la tempesta la disperde.
Tristo a chi si confida in bel colore,
Che dalla sera alla mattina perde!
Però laudi ciascuno il mio consiglio,
S' io disprezo le fronde e' l frutto piglio (1).

Ut se modeste præbeat, eamdem etiam verbis exquisitissimis monet, formosos capillos, jam decursu temporis canescere :

Deh, non insuperbir per tua belleza,
Donna; ch' un breve tempo te la fura.
Canuta tornerà la bionda treza
Che del bel viso adorna la figura.
Mentre che il fiore è nella sua vagheza,
Coglilo; chè belleza poco dura.
Fresca è la rosa da mattino, e a sera
Ell' ha perduto suo' belleza altera (2).

Non a consiliis abstinet quæ jam suaserat Horatius ut dulces amores non despectui dentur sed choreæ exerceantur :

Donec virenti canities abest
Morosa (3).

His verbis quamdam alloquitur

Le tua belleze fuggon come il sole
Quando s' asconde nell' onde marine :

1. *Consiglio prudente*, LXXV.
2. *Ammonimenti*, XXVII.
3. Horat., *Odes*, I, 9.

Ove le son testè rose e vïole
Saranno sterpi e secche poi le spine.
Usa, madonna, tua bella età verde :
Chi ha tempo e tempo aspetta, tempo perde (1).

Imo, quæ tam canoro dicendi genere et eximiis verbis, quæ ne unum quidem fugiunt, Ronsardius noster expressit :

Donc, si vous me croyez, mignonne
Tandis que votre âge fleuronne
En sa plus verte nouveauté,
Cueillez, cueillez votre jeunesse :
Comme à cette fleur la vieillesse
Fera ternir votre beauté;

Politianus, multis in locis jam cecinerat. Res vero quædam trita pervulgataque « Petrarchistis » erat.

Nimius tamen essem, si Politiani carmina singillatim et per partes, percurrere vellem; rem enim amatoriam Etruscis versibus eximia elegantia dulcique lepore præditis, adeo feliciter expressit, ut inter Petrarchæ æmulatores, Laurentio uno excepto, de quo jam dicturi sumus, vix Politiano parem quemquam reperias.

Ne Sannazarium quidem parem illi assentiar; Syncerus enim non adeo divite vena præditus tam multa et eximia de amore carmina profudit, nec species nympha Simonetta (2) pulchriores depinxit. Illud vero non est cur miremur. Politianus enim uni fere labori incumbens, amoris lusus tantum expressit modo quodam libero. Etenim, dum Syncerus narrationes suas fabula nectit, Anacreontis modo, impedimentisque vacuus hinc illincque arbitrioque suo vela pandit Politianus. Etruscis etiam verbis tantum utitur nec pastoralis vitæ implicatus genere, et amantium gaudia, iras aut despectus, velut ex imo corde profluente canoro dicendi modo facilius narrare fas illi videtur.

Non eadem libertate gaudens, latinis enim vocabulis et artis metricæ doctrina arctissima innodatur, dum Syncerus animi sui secreta panderet, etsi multa eximia carmina edidit, eadem facili vena audentium plausus captare non potuit. Politianus tamen, Petrarchæ æmulator nimis, ni fallor, per vias ab illo tritas, plus æquo incessit, quod quidem non æqualibus gressibus Syncerus fecerat, quem ideo, etsi non est, in primis, inventionis lauro

1. *Rispetti continuati*, I.
2. Cf. La Giostra, I.

adornandus, non tamen adeo ad æmulatorum et imitatorum pecus alligatum fuisse, integro ac libero animo dicere, nemini nefas esse videatur.

II

Poetarum modo qui, tunc temporis vitam degebant, in vestigiisque jam a Dante maximo ingenii lumine apertis insistentes, amores suos despectusque vel gaudia a quibus vicissim ludebantur, optimo dicendi genere expressere, inter primos eminet Laurentius Mediceus. De rerum publicarum curis non tantum sollicitus, aut gentis suæ gloriæ solummodo cupidus, in peritia rerum tractandarum non adeo animi curas omnes insumpsit ut tædio rem amatoriam habuerit, eam vero, intentis viribus explicavit, suisque carminibus vernacula lingua exaratis, feliciter cecinit.

Nemini ideo, nec Politiano nec Sannazario nostro illum cedere, omnium qui Etruscarum litterarum periti sunt, una est sententia. Quin imo, Laurentium a Pallade sapientiam et a Junone potentiam et a Venere gratias poesimque et musicam reportavisse, non Marsilius Ficinus cunctatus est dicere.

Medicei idcirco cum Politiani et Sannazarii carminibus, versus componere, magni pretii, mea quidem sententia erit, nedum illud nobis tædium afferat, cum præsertim velut ex alto cantus ore rotundo effundat, profunda quorum sensa, ut Marsilii Ficini verbis utar, « nullis unquam penetrare fas sit, nisi ingeniis simili quodam furore correptis ».

Omnia vero quæ e divite illius vena profluxere, primoribus etiam labris attingere, res quidem verbosior esset; nonnulla ideo, cum e carminibus vulgo « *Sonetti* » dictis, tum e « *Silvis amoris* » et symposiacis cantibus « *Beoni* » communiter dictis, illisque versibus quibus rerum et litterarum Etruscarum periti « *Canzoni a ballo* » nomina imposuere, solummodo adducemus. Ex quibus, ni fallor, Laurentius omnibus præditus fuisse dotibus videbitur, quibus tum in inveniendo tum in dicendo palam et in aperto conspicui elucent poetæ. Mentem enim nostram et vehementer concitat et dulcius movet dum, nemine eloquentius dicit vel acutius probat et, præ cæteris ubertatis furore exuberans, omnes secum audientes rapit.

Non ille est tamen qui lyram novis augeat fidibus, eas enim

tantum plectit quas jam, modulato dicendi genere moverat Petrarcha, et nos docuerat Sannazarius; easdem vero, non modis iisdem, vel, ut verius dicam, non affectato lepore hilarique argutia et miro candore, gravissimos sensus ex penetralibus animi erutos præpandit. Illud autem non ratione et via eadem progrediendo expressit.

Etenim, dum primos suos versus emittit, in illis animum intendens qui jam nos rem amatoriam docuerant, totis viribus incumbit, ut jam ab eis expressa, canoro dicendi genere iterum memoret. Quis enim Laurentium nova canere dicet, cum illum amori crudelitatem exprobrantem audierit (1), vel mortem quam maxima cupiditate exoptantem ut Cupidinis ipsius jacula devitet, aut libertatem appetentem dum amoris vincula solummodo diligat (2)? Etsi tamen illa jam Petrarcha dixit, et Politianus nec non Sannazarius eadem renovavere, Laurentii verba despectui dare cum longam fortunæ spem despicit, quæ quidem amantis errores protrahit, insolentissimæ insaniæ esset. Etenim, ne unus quidem invenietur qui pietate quadam non commoveatur, Laurentium audiendo clamantem :

Quante volte per mia troppa speranza
Da poi che fui sotto il giogo di Amore,
Bagnato ho il petto mio d'amari pianti!
E quante volte pur sperando pace
Da' santi lumi ho desiato vita
E per men mal di poi chiamato morte! (3)

Quis siccis oculis eumdem ex fracto corde demissiones animi protrahentem viderit, et spes hominum inanes deridentem, nam ut illius verbis utar : « è vana ogni umana speranza! » Vana quidem et inani expectatione decipitur cujus spes animum subit; etenim :

Fortuna, come suol, pur mi dileggia,
E di vane speranze ognor m' ingrombra :
Poi si muta in un punto, e mostra che ombra
È quanto pei mortal si pensa o veggia :
Or benigna si fa e or aspreggia :
Or m' empie die pensier e or mi sgombra;
E fa che l' alma spaventata adumbra
Nè par che del suo male ancor s'avveggia!

1. *Son.* II.
2. *Son.* III.
3. *Sonetti e Canzoni*, IV.

Teme spera rallegrasi e contrista
Ben mille volte il dì nostra natura :
Spesso il mal la fa lieta, e' l ben l'attrista :
Spera il suo danno, e del bene ha paura
Tanto ha il viver mortal corta la vista (1).

Quæ, iisdem ferme vocibus iterat cum dicit :

Ah quanto poco al mondo ogni bel dura ! (2)
Quanto sia vana ogni speranza nostra,
Quanto fallace ciaschedun disegno (3).

Vota quibus mortem deprecatur, in medium producere, non aliud esset quam apud Politianum et Syncerum solita et jam audita usurpare; silentio alto illa idcirco præterire liceat. Non possumus tamen, quin palam carmina quædam proferamus quibus, modo quodam pietate perfuso, mirabiles somniorum suorum species exagitat sedulo.

Più che mai bella e men che giammai fera
Mostrommi Amor la mia cara nemica,
Quando i pensier del giorno e la fatica
Tolto avea il pigro sonno della sera.
Sembrava agli occhi miei propria com' era,
Deposta sol la sua durezza antica,
E fatta agli amorosi raggi aprica :
Nè mai mi parve il ver cosa sì vera.
Prima, al parlar, e pauroso e lento
Stavo, come solea : poi la paura
Vinse il disio; e cominciai, dicendo :
Madonna... E in quel partissi come un vento :
Gosì in un tempo subito mi fura
Il sonno e sè e mio pensier, fuggendo (4).

Nimius vero essem, si cuncta Laurentii commenta « Petrarchistarum » institutis velut flamma quadam concitata, ad unum recitare vellem, tempus instat enim ut eum amore sincero nec tantum fucato ardentem videamus. Liceat ideo, etsi multa in iis pulchra inveniuntur, versus quibus mulierem quamdam specie formaque eximia præditam, morte vero impia raptam queritur, silentio præterire. Jam apud Sannazarium talia audivimus.

1. *Sonetti e Canzoni*, VII.
2. Id., ibid., XII.
3. Id., ibid., XXIII.
4. *Sonetti*, XIX.

Dum vero amorem quo erga Lucretiam Donatam raræ pulchritudinis et honestatis feminam prætereaque nobilissimam ardebat, concinnis celebrat versibus, lingua vernacula tunc pulcherrimos numeros in illius laudem ore rotundo profundit, in quibus etiam non dignitatis, fidei vero sensus candidi audiuntur.

In ludorum publicorum apparatu, multis comitantibus amicis, hanc mulierem viderat, verbisque amplissimis illius speciem pulchram depinxit quodam descriptionis modo utendo quem jam usurpaverat Sannazarius cum Galateam pingeret, non est ideo cur eadem, iisdem ferme vocibus expressa iteremus.

Illa enim tempestate, poetis mos erat pulchritudinis flores ardentissimis animi vocibus celebrare. Quod quidem, cum verbis solutis tum numero adstrictis et ipse Laurentius, dolores etiam narrando quibus angebatur, aut dulces amatæ colores carminibus eximiis depingendo, summo cum apparatu expressit (1).

Laurentius vero, ut saltem doctissimo vero Carducci, optime videtur, in carmine vulgo « *Selve d'Amore* » dicto, primus inter poetas eminet. In Sylvarum latebris, quadam die cum deambularet, pulchritudinem simulque animi speciem eximiam mulieris cujusdam in memoriam suam libenter revocabat, amorisque vincula dulcia judicabat nedum illis dira precaretur, etenim :

> Servo più ch' alcun libero e degno
> Servendo a tal il cui servir è regno! (2)

Inimica vero fortuna subit ut brevi ad irritum cadant pulchri isti ocelli quorum aspectu prius summa perfusus fuerat lætitia ; enixe tunc fatum deprecatur ne suo fraudetur gaudio, quod quidem eximiis versibus significat :

> O mio destino, o maledetta sorte,
> Abbiate oramai pietà del mio tormento :
> Rendete que' begli occhi agli occhi miei
> Chè senza lor più viver non potrei (3).

« Petrarchistarum » ex more jamdudum noto, mortem exoptat postea, nam propter amicæ desiderium obscura quadam caligine vita prius jam obducitur, unumque restat clamitare :

> Lasso! io non vivo, e morir non potrei

1. Cf. *Sonetti e Canzoni.*
2. *Selve d'amore*, I.
3. Id., ibid., II.

Lontano, oime! da que' bei lumi santi :
Non vivo, chè la mia vita è con lei (1).

His dictis, concinnæ quædam prodeunt sententiæ quas ni fallor ne Sannazarius quidem nec unus inter poetas, jam professus erat; naturam enim incusat Laurentius eo quod non homini desperato licitum sit varias induere species, quibuscum amicæ oscula libenter carperet.

Perturbatus animus spe quadam dulci et novo gaudio mox perfunditur, noctis enim caligines, haud longo interposito intervallo, dissolventur nam luce pulchrior redibit amicæ species eximia; tunc

Fuggirà il pianto e i... sospir dolenti
Dinanzi all' amorose luci adenti (2);

Tunc etiam ipsa natura, ordinem novum, pulchritudine eximia dispositum omnibus pacatis, ostendet. Amoreque læta, cuncta gaudio perfusa amantis lætitiam augebunt. Tristis vero invidia :

..... vecchia in un oscuro canto
Pallida, il sol fuggendo,

quam omnes Olympii incolæ summo despectui habent, nec Tartarus hospitio exciperet, spes longas disjicit amorisque gaudia corrumpit.

Cuncta in medium traducenda essent carmina quibus tunc animi cruciatus geminatosque dolores præpandit aut convicia quibus Epimethæum prosequitur, omnium quasi malorum parentem, cum ejus industria, spes e Pandoræ loculis inter mortales evaserit. Ista vero ne longius sim silentio prætermittam nec non etiam eximia carmina quibus « ætatem auream » floribus novis depingit; e Laurentianis quidem hortulis aliquid eligere multi laboris esset, cum omnia pari sint lepore dicta eximioque dicendi genere ornata.

« *Sylvam amoris* » ni fallor, carminibus, cum ab antiquis tum a recentibus exaratis, non insipientiæ insimulandus esset qui benigno animo compararet; Vergilium enim et Ovidium dum ruris locos amœnos et Invidiam depingit, Tibullum vero cum animi deliramenta suspirat non longo sequitur intervallo Mediceus noster, nec is sum qui infitier Sannazarium translationum

1. *Selve d'amore*, II.
2. Id., ibid.

ubertate descriptionumque varietate a Laurentio superatum fuisse. Nec est cur miremur; etenim, cum non esset pastorum vocibus, necessario Laurentii sermo implicatus, non adeo cogebatur ut fucato quodam dicendi genere uteretur, sponte vero liberiusque consilia et animi cogitationes traducebat. « Corintum » ideo, pastorem suum (1), cum inducit, non illum ad sermonem apud pastores usu vulgatum elicit, verbis autem ditat quæ quidem illis exquisitiora sunt apud Syncerum auditis, minusque pastorali vitæ apta esse videntur.

Quemlibet enim ex Mediceorum aulicis questus exprimere dicas, dum Corintus, Galateam, concinnis verbis hortatur ut ipsa coronam ex rosis plexam imponat capiti. Imo Laurentius verbis jam in canticis vulgo « *Sonetti* » dictis, utitur ut non novas sed jam vulgatas sententias exprimat, quemdam enim jam audivimus talia dicentem :

> Vien poi l' autunno, e maturi si cagliono
> I dolci pomi : e passato il bel tempo,
> Di fior di frutti e fronde alfin si spogliono.
> Cogli la rosa, o ninfa, or ch' è il bel tempo (2).

Res enim trita et pervulgata est cum apud « humanistas » tum apud Flaccum ; in libris sacris etiam, jam eadem iisdemque fere vocibus reperire fas est, in libro quidem Sapientiæ nepotem quemdam audimus modo lyrico exclamantem : « venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt... coronemus nos rosis, antequam marcescant (3) ; multa addit etiam iste quibus abstinuere Horatiani, Sannazariani aut Laurentiani pastores, et sodales suos impellit ut « circumveniant justum quoniam inutilis est et contrarius operibus... opprimant pauperem et non parcant viduæ ».

De carmine quod « *La Nencia di Barbarino* » inscripsit, nil dicam; non enim illud est quod sermonem vulgarem præbeat, sententias vero tantum concinnatas de amore illiusque doloribus in eo reperies, licetque eximio dicendi genere illud narretur, non vox popularis in illo sicut in carmine « *Beoni* » dicto resonat.

Symposiacis enim versibus, popularis auræ captator, haud orationis genus prosequitur, humillimo vero sermone vini gaudia celebrat sitimque depingit quæ quidem a poeta vocatur

1. *Corinto.*
2. *Corinto.*
3. Sap., II, 6, 7.

più singolar cosa
Chè data sia agli uomini da Dio,

vires enim et ipsa acquirit eundo nec satiata unquam extinguitur, quod nos unus docet e pastoribus, Antei fabulæ memor :

..... come Antèo le sue forze reprende
Cadendo in terra, come si favella,
La sete mia dal ber più sete prende (1).

Cibi capacissimi pastores et potatores egregii facinora sua narrant, verba tamen quibus utuntur non urbanitate semper conspicua esse videntur, mimorum enim scurrilitates potiusquam Laurentii Magnifici carmina diceres.

Non est ideo cur diutius in istis immoremur, cum præsertim versus quidam, spiritu vegetiores qui vulgo « *Canzoni a ballo*, et *Canti carnescialeschi* » dicuntur, Laurentii mentem optimo in lumine ponant. In illis, non nova aut inaudita narrantur, amoris enim laudibus sonant, omnesque alliciunt ut amoris gaudiis fruantur. Nec sententias nec verba Laurentius mutat, cantilenam vero eamdem ex imo pectore canit, cum temporis fugam amorisve delicias aut questus enarrat.

La bella gioventù già mai non torna,
Nè' l tempo perso già mai riede in drieto.....
Però, donne gentil giovani adorni,
Che vi state a cantare in questo loco,
Spendete lietamente i vostri giorni;
Chè giovinezza passa a poco a poco :
Io ve ne priego per quel dolce foco
Che ciascun cor gentile incende e strugge (2).

Aliquando tamen flebile nescio quid, Laurentii queritur lyra, etenim tristis quædam invidia vel amicæ despectus aut ancipites temporum mutationes serenos illius vultus pallore quodam fœdant, et non potest quin miserabili voce exclamet :

..... la fortuna invidiosa volse
In tristi pianti ogni mia lieta sorte.

Animum suum non desperatione adeo dimittit ut spem ex integro amittat, ista enim carmina ad symphoniæ cantum, per

1. *J. Beoni*, cap. II.
2. *Canzoni a Ballo*, II.

choreas a populo recitabantur, nec is est populus qui diutius in iisdem permaneat sensibus. Tristia idcirco dulcibus miscet Laurentius, sermonemque de mortis caligine inchoatum abrumpit, humanarumque fortunarum vicibus posthabitis et neglectis, Venerem aut Bacchum jucundis celebrat carminibus.

In illis quæ « *Trionfo di Bacco et Ariana* » inscribuntur, cantilena quadam optimo dicendi genere exarata canticum concludit, quod quidem animum, non inani, dulci vero tristitia perfundit, unum ex eis exempli causa ponere liceat :

Ciascum apra ben gli orecchi :
Di doman nessun si paschi;
Oggi siam giovani e vecchi
Lieti ognum, femmine e maschi;
Ogni tristo pensier caschi :
Facciam festa tuttavia
Chi vuol esser lieto, sia :
Di doman non c'è certezza.

Multa cantica afflatu magno perfusa in iisdem carminibus inveniuntur quibus et eremitæ et artifices artes et condicionem suas celebrant. Unusquisque, vitæ suæ genus magnis exultat laudibus, e divite vena enim non amatoria tantum sed religione plena depromit Laurentius. Non apud Sannazarium tam multæ generum species reperiuntur, plurimumque Mediceus pollet, dum musam suam eximio dicendi genere amplificat.

Syncerus quidem, ut uno dicam, de rebus pastorum loquendo non vultum eumdem servavit, non is fuit tamen qui musam suam ut Mediceus multis coloribus variaret. Soluto vero sermone et numeris adstricto utens, mentem nostram, mea quidem sententia, maxima perfundit lætitia, similitudinem enim quamdam dum de amore loquitur vitat, qua non semper Mediceus caret. Utrique tamen, cum in variis locis vitam degerent pari felicitate lyram pulsavere, nobisque auctores sunt non adeo veterum carminibus dissimilia fuisse quæ « Renovationis » tempore in Italia floruere carmina.

INDEX RERUM

INDEX NOMINUM

QUÆ EXEMPLI VEL AUCTORITATIS GRATIA DECURSU OPERIS ASSUMUNTUR

Paris. — J. Mersch, imp., 4bis, via dicta Châtillon.